13266/A
F. XV. b

3 in the 8vo

4/6

a 1100

1) BENNET, C
2) THOMSON, A.
3) MORLEY, C. L.

Thomson complete
with two final blanks

65·A·73 29957

1 Tabdorum Thelaue. Bnott

2. Alex. Thomson –
Dissertation Medicine 1705

2 Christopher Love Morley
De morbo Epidemico [illegible]
London 1686

[illegible]

ALEXANDRI THOMSON M·D.

DISSERTATIONES MEDICÆ

I. De Motu, quo renituntur Canales, in fluida corporis Animalis.

II. De Aquarum mineralium examine, & origine.

De Medicaminum Principum, { III. Martis, & aquarum Mineralium. IV. Mercurii. V. Opii. } Operationibus Medicinalibus.

VI. De Morbis Animi.

Introductio exhibet ideam progreſſus Medicinæ, hodiernum ejus ſtatum, & quamobrem, à detecto ſanguinis circuitu, Ars hactenus fere inexculta ſubſiſtat.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud FREDERICUM HARING. 1705.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Præclaro, ac Perantiquo Stemmate Oriundo,

GULIELMO

Nobiliſſimo Comiti,

SCOTIÆ MARISCALLO,

Merniæque Comitatus Seneſcallo

HEREDITARIO

Domino KEITH &c.

Perilluſtris Kethorum Gentis Principi: Patriæ Patrono: Heroi Invicto.

EN Tibi, Illuſtriſſime Heros, Proprii Debitum fundi: Id mihi honori, pariter & emolumento ceſſit, quod ſub NOMINIS MARISCALLI Clientela, Progeniei Paternæ Res orta eſt, ſtetit, & crevit: ſub Ejusdem Præſidio, atque in Athenæo veſtro Celeberrimo, prima poſuit Literarum & artium fundamina.

Quod ſi in MARISCALLI Natales panegyricè orare ſuppeterent vires, & occaſio, minimè defuerit Animus Beneficii memor; Neque ullo notarer Aſſentationis ſtigmate: Enimvero neque ulla, quæ ubivis Gentium eſt, extat aut extitit Hominum Progenies, quæ

Veteri

Veteri Proſapiâ, Fortitudine, Rebus præclarè geſtis, Eximiâ pariter, ac intemeratâ in Patriam, Regem, & Legem, fide, SCOTIÆ præcelluit MARISCALLOS.

Eia! Nobiliſſime Comes, Heroicæ ſtirpis veriſſima Proles, Patriæ Libertatis Decus & Præſidium; Cujus in Rebus afflictis, & penè labantibus ſepoſitis unà ſpeque Metuque, invictus conſiſtis, & Intrepidus Vindex.

Vivas & vigeas, in Patriæ Præſidium, & Artium Tutamen; Ut, qui Jura Patria contra Faſtum Dominatus Extranei ſtrenuiſſimè vindicas, & Patriis Diſciplinis, quæ extraneis minimè cedunt, niſi quod minus foveantur, Idem fias Patronus. Cæterum hocce, ut exiguum eſt, Obſequii Pignus pro Ingenitâ, quâ polles in demerendis Mortalibus, humanitate, Benevolus accipe. Fauſtaque Omnia MARISCALLI Ampliſſimæ Genti, pro merito Vovebit.

NOMINIS VESTRI

Deditiſſimus & Devinctiſſimus Cliens
ALEXANDER THOMSON.

Dabam Montis Roſæ
Die quinto Ante Calendas Januarias MDCCIV.

PRimordia Medicinæ fortuita, caſu, non arte, detecta, (a)Babylonii, Antiquiſſimus Aſſyriorum Populus, multiplici experientia, ſtabiliendam & augendam curabant: Ægros enim in foro publico expoſitos, tranſeuntes Legibus devincti, de morbis rogabant; & ſi qui vel morbo ſimili, ipſi laborârunt, vel alios laborantes viderant, ægris indicabant, quâ methodo, quibusve Medicaminibus, curati ſunt. (b) Aſt Ægyptii, perhibente *Diodoro*, hiſtoriæ priſcæ ſcientiſſimo, Aſſyriis in diſciplinis excolendis haud parum Antiquiores, omnium primi Canones, ſeu Aphorismos Medicos, ordine diſpoſuere. Digeſta hæc Libro ſacro comprehenſa (cujus Auctor perhibetur Hermes Trismegiſtus,) prorſum ſacra extitere, ad quæ nempe praxin tenebantur exercere Medici, ni ſiniſtro ſucceſſu, homicidii convicti, capitis pœnas luerent; quippe medendi rationem, longi temporis uſu obſervatam, paucos ingenio ſuperaturos cenſebant. Jejuniis, vomitu, clyſteribus, & corpore purgato, morbos & antevertebant & curabant, haud perperam rati, in omnis nutrimenti digeſtione majorem partem eſſe ſuperfluam, & inde morbos creari. Medicinam igitur inter Aſſyrios a quopiam fortuito exercitam, Artem profitebantur Ægyptii: Medici etiam ex publico annonam accipiebant, unde cura ægris domi ſaltem, gratuita cedebat. Poſt Hermetem Æſculapius, ſi modo vera ſunt, quæ de ipſo perhibentur, Ægyptiorum Medicinam magnopere excoluit; fabulæ enim ſunt, quas de ſuo Æſculapio tradidit Græcia, ſemper mendax, dum alienigenorum Heroum egregia facta Impoſturis ſuis tribuit. Neque dubium, quin ſcientiam Medicam ab Ægyptiis mutuatam, in patriam ſuam cum reliquis

A 3 diſci-

(a) Herodot. (b) Diodor. Sicul. *Lib.* 1.

diſciplinis Græci tranſtulere. Horum Medicina ab initio prorſus extitit mythologica, ſaltem ita fabulis referta, ut vix quidpiam certi inde elicere detur. Dum enim Heroas, (quos Deos minorum Gentium nuncupabant Romani,) ſeu proprios, ſeu ab Exteris mutuatitios, Medicinam ſive inveniſſe, ſive excoluiſſe, infinitâ fabulandi luxuriâ narrarunt, in dubio relinquunt, an narrationes hiſtoricas, an ſub figmentis, ut fit, philoſophiam poëticam, Hominibus obtrudant. Illud ſaltem conſtat, ante Bellum Trojanum Chirurgiam duntaxat Græcis innotuiſſe; neque Homerus, qui viliſſimam quamlibet encheireſin chirurgicam, poëſi heroicâ haud cenſuit indignam, ullius meminit Medicinæ, quantùmlibet in peſtis hiſtoria tradenda ſuppeteret occaſio: neque quidpiam à Diodoro, de Podalyrio & Machaone, Æſculapii filiis ad militiam Trojanam cum Agamemnone profectis, (c) de quibus conſultò orationem habet, præter vulnerum curam memoratum. Aſt brevi poſt fünera Troiæ, Aſclepiades, ſive ab Æſculapio oriunda progenies, ſcholas medicas in celebrioribus Ægei & Cyprii maris Inſulis inſtituere incipiebant, (d) Rhodiam primo; qua labante, imprimis claruere Coa & Cnidia, quarum inſtituto non mera empeiria comprehenſo adſtipulatur (e) Hippocrates, & Prænotiones, quas ſcholæ Coæ fuiſſe Titulus indicat, illud imprimis perhibent. Quin harum, tam vetus ante Hippocratem extitit memoria, ut ipſemet ſe ſcholæ Coæ alumnum ab Æſculapio decimum ſeptimum glorietur; verum hactenus inter ſigna medica & remedia empeiriâ detecta ſubſiſtebat Medicina. Deinceps medendi ſcientia, ſapientiæ pars haberi cæpit, & Philoſophi ab Ægyptiis edocti morborum cognitionem & curam, non ſecus ac naturæ Rerum contemplatio-

(c) Lib. 4. (d) *De Ratione victus in Acutis.*
(e) Galen, *Method. Medend. lib.* 1.

plationem, ſpartam ſibi creditam exiſtimabant. Haud male (*f*) Celſus; nempe his aptiſſimam, inquiebat, medicinam, quórum corpora inquieta cogitatio, nocturnaque minuerant vigilia. Hinc eoſdem antiquæ philoſophiæ & medicinæ auctores accepimus: Inter quos clariſſimi extitere Pythagoras, Empedocles, Democritus. Hujus diſcipulus habetur Hippocrates, qui primus omnium diſciplinam medicam ab ſtudio philoſophiæ ſeparavit. Vir quidem arte & facundia Inſignis, Parens tamen Medicinæ improprie dici meruit. Conſtat enim, Ægyptiis innotuiſſe multam Medicinæ partem; Græciæ quidem videtur ſanguinis miſſio dberi, quam tamen, uſu communi, ævo ſuo tritam, ſæpius meminit Hippocrates; Nempe & inventionem in Podalyrium Æſculapii filium, vera an fabuloſa narratione, communis Antiquitatis reponebat Autoritas. Revera Hippocrates ex Aſclepiadum familia oriundus, ſacris Medicis ab incunabulis initiatus, primus extitit Medicus, qui philoſopiam corporis humani, ab Philoſophis vindicabit, eandem pro genio ſui temporis ſubtiliter ſatis excoluit, & rei Medicæ applicuit: Unde quidem rationalis Medicinæ Parens indubie habitus eſt. Id vero minimum eſt, quod Hippocrati debet Medicina; parvi enim refert, quod ab hujusmodi Medicina mutuatur Ars medica: aſt miram Hominis ſagacitatem, & operam indefeſſam in ſignis Medicis excolendis, justa ſuſcipimus ratione; Neque minus dolendum, Hippocratis filios, ad Principis ſui Inſtitutum minus attentos, utiliſſimam Artis partem, parum nimis excoluiſſe. Enimvero in cauſas, easque plurimum remotas, philoſophice intenti, ſigna tædii & ſervitutis opus, nimium onus abigebant. Ex hac philoſophandi Luxuria, occaſionem arripiens (*g*) Serapion, ſectam Empiricorum inſtituit, nihil hanc

 ratio-

(*f*) *Præfatione.*

(*g*) Galen. *method. Medend.* Lib. 1. & Celſus *præf.*

rationalem diſciplinam ad Medicinam pertinere profeſſus, in uſu & experientia ponendam, quem ſequuti ſunt plures, in veteri Medicina haud mediocris nominis. Atque hic extitit per plura ſæcula Medicinæ ſtatus, aliis rationalem Artem; aliis uſum & experientiam ſibi vindicantibus, neque quidpiam inter Medicos deinceps agitatum, niſi quæ acceperant; donec Aſclepiades & Themiſon, Medici poſt Hippocratem primarii, medendi rationem magna ex parte mutarunt. Aſclepiades Cn: Pompeii temporibus, eidemque familiaris, primus Græcorum Medicinam rationalem Romam devexit, ibidem ſectam condidit novam, hominumque animos Artificio mirabili alliciebat, & opinione agebat ſui. Hujus placita ad ſenſus ſui rationem ulterius proſequutus Themiſon, Aſclepiadi Magiſtro ingenio minime cedens, methodicæ ſectæ Primarius extitit Auctor: verum horum Inſtitutum, brevi peſſum dedit Antonius Muſa, Empiricæ Medicinæ Diſcipulus, qui fauſtum nactus in Cæſare Auguſto tentaminis ſucceſſum, Cæſaris auctoritate; inſtituti ſui rationem ſtabilitam obtinuit. Hunc excepit Celſus ſenatorii ordinis Romanus, qui rebus quidem novis minus ſtuduit; Rei medicæ tamen Auctor extitit graviſſimus, quam pari excoluit ingenio atque facundia, neque

(h) Ridiculum eſt, quod quidam ex Plinio autumant, Medicos ſexcentis annis Româ exulaſſe: Plinius enim ſimpliciter narrat, P. R. ultra Sexcenteſimum annum, quemadmodum & aliæ gentes, ſine Medicis degiſſe, quod longe aliud eſt; neque eſt hoc verum. Medicorum enim Romæ meminit. (i) Dionyſius Halicarnaſſ. rei Romanæ Hiſtoriographus gravis pariter & facundus CCCImo. ab V.

(h.) Plinius *nat. hiſt. c.* 29.
(i.) Lib. 10.

C. Anno Exacto, inquit, anno ab V. C. CCCmo. P. Heratio, Sext. Quintilio Coſſ. Peſtilentia Romam invaſit, qualis nunquam antea, quâ ſervitia ſunt abſumta pæne omnia, civium circiter dimidium; nec Medicis ſufficientibus, ὐδὲ ἰατρῶν ἀρκούντων τοῖς καμάτοις. *Quin & ipſe ſui oblitus ſibi adverſatur Plinius, idque verbis jam memorata proxime inſequutis; quibus ex Caſſio Hemina refert, Archagathum, vulnerarium, ex Peloponeſo Romam veniſſe, Anno urbis DXXXV*, Eique jus Quiritium datum, & Tabernam in Compito Acilio emptam. Catonis innititur ſententiæ Græcis infenſiſſimi; quem refert, filio mandaſſe, ut à Medicis caveret, *jurarunt, inquit, barbaros necare omnes Medicina*, ſtultum omnino ſapientis Effatum! Revera culpâ hactenus caruiſſet Medicina, ni aliunde peccaſſent Medici. Senatum ſeu S. C. in partes trahit Plinius, aſt quodnam amabo! aut quibus notatum faſtis? hujus conſulti non meminit, quia non noverat. Verum hujusmodi non ex delectu, ſed incautius pro more ſuo protulit Plinius, & opprobrium in Medicos à S. P. Q. R. illatum, mendax prorſus eſt commentum, quippe, & quod Artem tædio Rno. Populo fuiſſe dixerit, non de Medendi arte, ſed de Archagatho & Cooperariis ſuis, Lanienam exercentibus Chirurgicam, diſertis habet verbis, neque Plinius artem, ſed pravum inſectatur artis inſtitutum.

alius quispiam veteris Medicinæ ſummam, ſtylo compoſuit usque adeo concinno, pariter & eleganti. Celſum haud longo interpoſito intervallo excepit alter Medicinæ Parens Galenus, Auctor ſupra omnem ſenſum Rationalis, & vel inter nugas accuratus. Vir equidem Ingenii fuit ſummi, & in Medicina excolenda indefatigabilis: verum cum contemplatione potius, quam curandi methodo, (quod habet Alumnus ſuus (*k*) Fernelius), vitam tranſegerit, præ-

(*k*) *Conſil: 48.*

terea & mechaniſmi Corporis animalis neſcius eſſet, immenſa philoſophandi Licentia, theoriam Medicinæ, prorſus ridiculam & inſenſatam ſpecioſa propoſuit oratione. Humorum tamen quaternio Galenica temporis genio magnopere arridebat; atque jam ad faſtigium videbatur perducta Medicina: quippe ante ſæculum unum ant alterum, Materiam Medicam luculentiſſima deſcriptione, poſt Theophraſtum elucidaverat Dioſcorides; ut inſtrumentis jam copioſiſſime arti ſuppetentibus, plus ultra, quod in Medicina deſideraretur, vix occurreret; & Medici Hippocratem & Galenum haud ſecus, ac Jurisperiti ſuos Codices appellantes, auctoritate rem agebant, neutiquam de Ratione ſoliciti, modò Magiſtrorum callucrunt rationes; neque penſi habentes, fundamenta artis, prorſum diverſa, à Coryphæis ſuis poſita, dum plus quam millena Hominem conſtituere poſuerit (*l*). Primus alter quaternionis ſuæ tenax, in eandem Corporis animalis phænomena univerſa in ſolidum reponit. Hic Medicinæ perſtitit ſtatus, quoad Gentes Barbaræ, ex Septentrione, in imperium Romanum irrumpentes, Medicinam cum reliqua Artium Liberalium caterva, ex Europa in Arabiam profligarunt. Arabes, Genus Hominum, quæſtiunculis & altercationibus deditum, (*m*) mirum quot nugis & ſubtilitatibus captum ſuperantibus, ſubſtantiam Medicam in vaporem æthere ſubtiliorem, evaporarunt. Neque prorſus tamen de Medicina male meruit Gens Arabica; Pharmaceuticen imprimis improprie Galenicam dictam, Meſue Arabi præ reliquis debemus, quam utique ratione excoluit nitida, neque antea nota, utque hactenus farrago, Artis rudis impolita extiterat, Meſues in Artis faſtigium perdux-

(*l*) *De veteri Medicina.*

(*m*) Vide ſis ſpecimen in Avicen: *Canon med. lib.* 1.

duxerit, unde Septalius Mediolenſis, Medicus ſui temporis ſummus, in Animadverſionibus pharmaceuticis Meſuen pro modulo proponit.

Revireſcentibus tandem apud Europæos Literis, & Medicina ex Arabia in Europam redux effloreſcere incipiebat, neque ulterius Hippocratem & Galenum duntaxat, quin Patres ex Arabia conſcriptos, Averoëm, Avicennam, Abenbitarem, & id genus alia Nomina barbara, Medicus quisque in ſui tutelam & patrocinium, ſanctâ ſibi proponebat ratione. Unde infiniti ex omnigena auctoritate Canones Medici, neque penſi habitum, quid conveniat, quid non, modo cum Patroni ſenſu conveniat, & artis quam vitæ potior habita eſt ratio, unde Italicum illud.

E Morto Catolicamente, & Con tutti gli regli.

Attamen inter varios hos Medicinæ caſus, varia diſcrimina, integra hactenus perſtitere Medica ſigna, ab Hippocrate tradita, & Medicis priſcis. Id ſane ſ culi ſuperiorem Antecedentis honori detur, prognoſin & diagnoſin medicam, à Medicis ſuis accuratiſſime traditas. Inter quos excelluêre & ſuperioris ſeculi Sennertus, Fernelius, Platerus, Foreſtus, quorum licet ratiocinia mera ſint nugarum farrago; attamen ſignis tenaciſſime dediti, ex falſis verum ſæpiſſime magno cum ſucceſſu aſſequuti ſunt.

Verum enim vero, inter prima reſtauratæ Medicinæ initia, apparuere Chymici, qui ſpagyricæ ſuæ artis antiquitatem, ex innumeris fabuloſæ traditionis metaphoris, ſtabilire conati ſunt; verum quidem metallurgiam inter primas, à Mortalibus artes excultam, Chymiatria vero, recens ab aliquot ſæculis, Hominum inventum, duntaxat apparet. Neque ſane Medicinæ aut Generis humani inventi pænitet: Chemia

miâ enim mediante, materiam medicam, antiquam infinitis modis ſuperantem, procul omni dubio obtinemus. Artem cælitus oriundam, an vere, an ſecus, non diſputo. Id ſolum conſtat, primores Chymicos, numinis afflatum præ ſe ferentes, nobiliſſimos exhibuiſſe artis apparatus; neque hactenus ultra Baſilii Valentini Monachi Germani, encheireſes de Antimonio (cujus uſus Medicos primus Mortalibus detexit, & vindicavit) quidpiam fere amplius repertum. Sed materiæ medicæ limites nimium reſtrictos, quin & opus artis dignitati vix ſatis reſpondens, arbitrati Chymiatri, univerſam Oeconomiam Animalem, ſpagyricæ ſuæ ſubjicere ſatagunt, & ex Miſcelis ſuis, quidquid in corpore animali contingit, elucidare conati ſunt. Verum latet in generalibus hiſce dolus, ex quibus ne quidpiam definitum, vel ad ſanitatem tuendam, vel morbos averruncandos, hactenus extruere datum. Enimvero cum miſcelæ Chymicæ modus, neque legibus mechanicis hactenus notis accomodus ſit, licet effectus ſit ſenſui obvius; tamen cauſa, ex quâ duntaxat ratiocinari convenit, in occulto exiſtens, non ſcientiæ, ſed conjecturis, nos relinquit. Helmontius quidem Humoriſtarum dogmata acute ſatis redarguit; dum vero Archeum, Gas & Blas, verba phanatico-barbara, humorum vice reponit quidquid inde adipiscantur Adepti, medicinam ſenſatam ſemper, IN STATU QUO, relinquit. Aſt minime inficior, univerſam Rerum naturam perpetuam eſſe chymiam, ab Immenſo Rerum opifice, indeſinenter exercitam, quare & id agnoſco, Medicum in rebus chymicis verſatum aptiſſimum exiſtere, qui de motibus fluidorum inteſtinis, rite Indicium ferat; modo ſaltem cogitata ſua legibus naturæ mechanicis accommodet, neque rem deſperandam cenſerem, modo in id ſedulo incumberent Artis Filii. Inter has plusquam civiles Medicorum

rum diſcordias affulſit tandem lux medicinæ fulgentiſſima. Stupendi ingenii Harvæus, cui plura forte debet Medicina, quam ter mille annorum curriculis, ante ævum ſuum elapſis. Is detecto ſanguinis circuitu, eodem ictu, univerſam profligavit veteris medicinæ theoriam; ſimpliciorem etiam diſciplinæ medicæ addiſcendæ methodum, non ex hypotheſi, ſed ob oculos poſuit. Obſtupuit ad inventum univerſa Medicorum chorus: dum uni, quorum ſcientia, gloria, fama, totum denique, in infinita antiquorum lectione ſita erat, id unum e rebus ſuis eſſe videbant, ne greſſum à ſacroſancta antiquitatis auctoritate recederent. Alii abbreviatam ſcientiam gratulabundi, omnia deinceps fauſta ſibi ſpondebant. Tandem ſuperato præjudicio, dogma novum unanimi aſſenſu ad unum amplexi ſunt omnes: neque ulterius dubium novâ jam luce coruscantem Medicinam, non amplius conjectaneam, ſed certam malorum fore medelam. Verum eheu! tanta ſpe hactenus excidit genus humanum. Neque minus fere precaria hucusque extitit praxis medica, vulgo inſtituta, quam dum Galeni & Arabum nugis nugaciſſimis innixa ſtitit. Emolumenti igitur ne quidpiam, quin gravius Medicinæ ſcandalum, à detecto ſanguinis circuitu nanciſſimur, dum ne hilum ad morborum curationem ſapientiores facti auctam ſcientiam incaſſum gloriamur. Miror ſane, Medicos rei conſcios, de ratione ita parum ſollicitos verſari, cum id imprimis rei Medicæ interſit, an detecta ſanguinis circulatio tanti ſit, quanti ſibi imaginatus eſt Harvæus, neque diſconveniunt Medici, interim nihil inde aſſequuntur commodi, Rei rationem expendere proximum eſt.

Vix Mundo innotuerat doctrina Harvæana, cum Renatus des Cartes philoſophiam commentus eſt novam. Sublimis hic quidem, ſupra vulgi Hominum ſortem,

ſortem, extitit Ingenii, & qui nobili auſu philoſophandi libertatem, primus fere mortalium, Hominibus aſſeruit. Ingens tamen atque nimium auſus, Rerum naturam, Hominem etiam Mechanice produxit. Qua Principis ſui licentia immenſum abuſi ſequaces, naturam, Artemque Medicam hypotheſin confecere; Univerſam functionem Animalem, in glandula pineali, æthere amico & peregrino, poris diverſo modo figuratis, fermentis, valvulis Antagoniſtis, & id genus aliis innumeris, ex mera hypotheſi, prorſus neglecta Rerum natura, ingenti molimine, ſpecioſe quidem, neque minus ridicule poſuere. Circuitum ſanguinis tamen agnovit Carteſius, ſoli Harvæo præ cæteris mortalibus ſe devinctum faſſus eſt; quin & hujus doctrinam philoſophiæ ſuæ Animalis baſin poſuiſſe præ ſe ferebat: Unde natura humana novitatis cujuſpiam indiſcriminatim avida, eodem halitu, hypotheſios philoſophicæ commenta, & Indicium naturæ amplexa eſt; neque amplius quid ſenſui patebat, verum, quid diſtincta à ſenſibus perceptio indicaret, quæſitum. En denuo Medicinæ phaſin mere rationalem: Neglecta jam exiſtit priſca Medicina; Hippocrates cum ſignis ſuis nauci habitus; naturæ obſervatio nimis impedita, & inter limites reſtricta, haud ſatis ſcientifica viſa eſt: omnia ſuppeditat omnipotens hypotheſis. Verbo uno, ſenſus & ratio rejecta, eorum vice, fumum & fucum, ipſiſſimam denique rationalitatem, amplexi ſunt, quotquot extitere ſuperioris ſæculi Medici Philoſophi. Verum & de his deinceps. Impræſens, dentur, ſi lubet, quæcunque à Carteſio ſequacibusque gratis petuntur. Cui bono inſerviunt? Neque enim ad rem Medicam magis faciunt, quam humorum quaternio galenica, facultates, deſtillationes, & id genus alia veteris Medicinæ commenta: Hujusmodi

di ſane elementis & vorticibus, potius quam ſanguinis innituntur circuitui, quem vix quidem inter innumeras ſupponunt ſuppoſitiones.

Williſius Medicinæ deliciæ,. dictione plane Muſicâ profluens, Imaginationem, nolit velit indicium, ſemper in aſſenſum trahit, neque potis eſt quiſpiam incautus, pro ſenſatæ rationis partibus, contra faſcinium blandum conſiſtere. Feliciſſimus ſane naturæ fictitiæ depictor, id ſaltem lenocinâ oratione aſſequutus eſt, ut qui naturam & Indicium in Williſio deſiderat, ægre tamen ferat, ſe hallucinii conſcium, blandiſſimo privari phantasmate. Accenſio ſanguinis, excubiæ ſpirituum, curſus & recurſus per corpora ſtriata, primo intuitu quidem, aſſenſum captant: Verum dum hæc innituntur Tormentis bellicis, pulveri pyrio, exploſionibus, aquis ſtygiis, vitriolicis, & cæteris hujusmodi; de Medicina meram componit fabulam metaphoricam. Unde à Williſio imprimis, ad hunc uſque diem, Medicina metaphoris infinite luxuriat, & optimus à communi habetur Medicus, qui optime in Metaphoris ludit, & cujus phantaſia imaginum ferax, quidpiam functioni animali analogum, in Medicina agenda reperire habilis eſt. Phantaſiâ quippe univerſi capiuntur.

Naturæ Indicium pauci capiunt. Hinc tota fere medicina hodierna poſt Williſii *De Febr.* commentum, fermentatio facta eſt. Quippe dum vident Medici, hoc motus inteſtini genere, liquores vegetabilium à natura perfici, vocabulum inter Mulierculas uſu jam tritum, nunquam non in ſcenam producunt medicam, & quidquid intelligunt, aut non intelligunt, in fermentationem & fermenta reponunt. Placet & capit dictio æquivoca, neque penſi habet Medicus, ſi intelligat nec ne, modo plebeculæ placeat, & intelligere videatur.

Abu-

Abuſum hunc dudum ſolida ratione rejecere, medicinæ tam ſpagyricæ, quam mechanicæ, (*n*) Patroni, neque rationi, neque ſenſui congruum animalium motum inteſtinum, quidpiam cum fermentatione commune habere. Verum enimvero haud parvi momenti eſt, quod Williſio debet Medicina; quippe & anatomiam ingenioſe excoluit, nervorum ſyſtema accurata indagine proſequutus eſt, eorum pathologiam metaphorice quidem nimis pro ſuo more deſcripſit; primus tamen omnium lucem qualemcunque rei prætulit obſcuræ, & fundamenta poſuit, ex quibus accuratius ratiocinium, rem ipſam tandem attingere poſſit. Senſum etiam animalem, ſeu animam Brutorum, medicinæ operam utilem pariter & jucundam, ingenioſa explicuit ratione. Demum ingenio & facundia nullus Williſium ſuperavit. Appoſite tamen Celſus: Ingenium quidem & facundiam vincere; morbum vero, non eloquentia, ſed remediis curari.

Sylvus de le Boë, neſcio, quo genio motus, univerſum hominem conſtituit TRIUMVIRATUS ſui bellum civile. Ampla & auguſta verba ſane, tanquam ſi partiri debeat corpus animale, in luctum imaginarium, trium liquorum, quemadmodum imperium Romanum inter ſe partiti ſunt Craſſus, Pompejus, & Julius, aut Auguſtus, Antonius, & Lepidus. Mirum ſane, virum Medicum, opinionis ſuæ tenaciſſimum, ut vix ſe temperet, quin ſacrilegii reos Adverſarios redarguat, tamen Argumento duntaxat nomina politica adducere; neque enim quodpiam extat experimentum certum luctus jam dicti, in quo tamen univerſam ſuam medicinam reponit Sylvicus. Triumviratum totus ſpirat, donum cælitus conceſſum

N. *Vide* Pitcarnium, *de circulat. per vaſa minima,* & Le Mort, *de uſu et nobilitate Chymiæ.*

ceſſum in imis fixit præcordii, nihil tam arduum atque difficile, quod hujus ope primo intuitu, mire ingenii ludibrio evolvendum non ſusceperit. Interim neglecta prorſus ſigna Medica, & cum multa pars Medicinæ ſit Morbos dignoſcere, nullius morbi criterium poſuit Sylvius, omnia ſuppoſuit: Tanquam ſi quis noctu per devia erranti reſponderet; ſi ſeptemtrionem velis, accedas ad Polum borealem, ſi auſtrum, ab eodem recedas. Interim ignorat Miſellus, quæ ſit ſtella polaris, & ubi conſiſtat Sylvius, tamen magni nominis exiſtit, neque honeſtum fuerit eximii viri famam impetere: Quin potius ratus ſum, cogitata ex primo affectu, raptim ſcripta, tandem maturiore ſubveniente Judicio, à viro ingenuo accuratiore indagine, ſi aliquamdiu in vivis perſtitiſſet, caſtiganda. Plura ſane, quorum Medicinæ intereſt, ex diſſectione anatomica obſervavit: Chymiæ peritiam haud vulgarem in Medicamentis detexit: quædam tamen nimia peritia incogitanter protulit, quæ ſimplicior obſervatio chymiæ rudis faciliore opera detexiſſet.

Etmullerus, ſepoſitis magna parte, Williſii Metaphoris & Triumviratu Sylvii, amplexus tamen, quæ magis rationi conſona ex utrisque viſa ſunt, Medicinam quidem inſtituit ſimpliciorem & magis congruam, totam tamen in Acido & Alcali, hodiernæ Medicinæ Divis Tutelaribus repoſitam. Enimvero tantum jam invaluit de vocibus his ſonus & jurgium, ut, dum univerſi in alterutro morbum omnem reponunt, ſinguli unum ex contrariis ſibi eligentes, in altero cujuslibet morbi curam ſibi promittant. Siccine ridicula exiſtit, & perſiſtit natura humana! ut cum quidpiam ſeu verum, ſive falſum ſibi imaginata eſt, univerſi naturam figmento ſuo ſubjicere ſatagat. Nihil hactenus exhibuit Natura experimentis factis vel

Acidum vel Alkali, qualia nobis exhibent Chymicorum furni: Mirum igitur & ſtupendum quidpiam his Analogum, fundamenta haberi rei ſacerrimæ. Ampla ſane inductione nitide probavit (o) Tourne, fortius ſalia quælibet naturalia nota, neque Acida neque Alkalia pura exiſtere; imo & Salia acidiſſima habita, manifeſta Alkali præbere indicia. Id tamen Etmullero honoris detur, non alium extitiſſe Medicum magis induſtrium & ingenioſum, in ſignis Medicis proſequendis, quæ utique methodo diſtinctâ & praxi accomodâ, præ reliqua univerſa ſyſtematicorum grege tradidit.

Hi ſunt celebriores, qui hypotheſes in Medicina fabricarunt; (de minorum gentium hominibus haud dicere vacat) & quid quæſo, vel ſeorſim vel ſimul ſumptæ, cum ſanguinis circuitu commune habent? Tantundem nempe, quantum cum formis ſubſtantialibus, aut id genus aliis Philoſophiæ figmentis. Quippe ſive motum ſuum circuitu inſtituto peragat, ſive motu progreſſivo ſine circuitu gaudeat, ſive demum, Lacus modo ſtagnet, perinde fere refert ſyſtemati cuipiam memorato. Interim exclamant Adſtantes, quid prodeſt Medicis detecta ſanguinis circulatio? Reſpondeo: Idem, quod prodeſt Hominibus Ratio & Religio. Euangelium agnoſcunt Homines, legunt & audiunt, prædicationi indies interſunt; Interim Ethnice vivit maxima pars Hominum; vere Chriſtianus rara avis eſt, & miraculo ſimillimus: Ergo quid prodeſt hominibus Euangelium? Agnoſcunt quidem ad unum omes Medici ſanguinis circuitum; verum qui huic baſi medicinam ſuam ſuperſtruit, vix unus eſt, aut alter, aut tertius; Pauci ſane multorum reſpectu, &

—— —— Vix totidem, quot
Thebarum portæ —— ——

Veri-

(o) *Preface à l'Hiſtoire des Plantes.*

Veritas omnifariam una eſt & individua, Error multifarius & infinitus. Quidquid volumus imaginamur, ex imaginatione repetita trahitur in partes Judicium: Hinc univerſa hypotheſium congeries. Aſt natura Rerum una exiſtens, phantaſiæ hominum, objecta ſua infinitè multiplicanti ſubjici renuit. Quare veritatem indagare phantaſiæ res non eſt; quin animo intento, cogitatione fixâ, nitidâ perſpicuâ, opus eſt. Ex vero quod intercedit diſcrimen: Citato quidem curſu labili tamen vadit Hypotheſium venator, qui naturam proſequitur, tardo ſed ſtabili incedit greſſu. Vix quidpiam in Medicina hactenus exiſtit perfectum; neque enim res ipſas quærunt Medici; quin uni ex aliis, univerſi fere ex hypotheſi medicinam quærentes, ſæpius hallucinantur, & ſi quando ſcopum attingunt, caſui fortunam debent. Interim neglectis cauſis rerum proximis, primas & primo primas, ſi cœlis placeat, philoſophice quærunt Pars ſane haud exigua hodiernæ Medicinæ, quaſi vero pluris eſſet Medico metaphyſica, quàm morborum curatio. Univerſos Medicos Philoſophos appello, quod genus morbi hactenus vel dignovit, vel curavit, *alta & abſtracta a ſenſibus ſpeculatio?* Quiſquis es, qui indicabis, eris mihi magnus Apollo. Ego aliâ prorſus methodo rem capio. Naturam Rerum ſcire ſatagunt Homines. Id autem noluit Deus & Natura. Philoſophiam corpuſcularem ad amuſſim calleant, Materias Primi, Secundi, & Tertii elementi, Acidum & Alcali, acutiſſima dignoſcant mentis acie: Bellum ſane Ingenii Luſum! Dentur tamen. Aſt quid ſit Natura, quid Vita, quid utriuslibet proprietates, tantundem norunt, quantum illi, quibus bellæ hæ ſpeculationes ex longinquo petitæ prorſus ignotæ ſunt. Immenſus Rerum Conditor omnipotenti ſuo FIAT, naturam Rerum voluit & fecit: Hoc norunt Idio-

tæ, neque amplius novit Philoſophorum Coryphæus. Nihil igitur e longinquo petendum ratus ſum. Senſus & obſervatio indubia omnium ponantur fundamenta; ex quibus ratione obvia prima eruenda ſunt, ſecunda eadem methodo ex his conceſſis, & ſic deinceps. Hanc methodum jam olim amplexi Mathematici, diſciplinas ſuas ab exiguis initiis ad ἀκμὴν fere perduxere; dum reliquæ diſciplinæ, prææmaturâ feſtinatione vix prorſim natæ confeſſim fere pereant.

Diſſertationes de Medicamentorum operationibus, ob interruptam ſæpius ſubjecti ſeriem, propoſitionibus traduntur: Reliquæ connexa dictionis ſerie.

ALEXANDRI THOMSON M D.

TENTAMINA MEDICA

In VI. Diſſertationibus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Motu, quo renituntur Canales, in Fluida corporis Animalis.

DE devio, a natura nempe ſanguinis circuitu, Medicinæ tramite, in Introductione dictum. Deinceps demonſtrare conabor, rem Harvæo & Lowero haud penitus notam, & quod aliâ opus fuit machinâ, præter cordis muſculum, ad ſanguinem per vaſa minima in circuitum premendum: Quanti autem Idoneus rei conceptus medendi Arti conducat, hoc imprimis diſcurſu ex ſequentium etiam patebit ſerie.

De renixu Canalium in fluida Animalia, quædam in tranſitu innuebat Borellus; Bel-

linius ex propoſito ſcripſit *Libro de villo contractili*, Medicis Tranſalpinis hactenus, quod ſciam, incognito. Specimen tantum Pitcarnio miſit noſtrati, rei quædam exhibens principia abſtracta, cum demonſtrationum elencho. Ex quibus omnibus quidem auctum rei deſiderium, pauciſſimis res ipſa magis perſpecta.

Poſt hunc, idque nuperrime, poſtquam de his cogitaſſem, *de Fibra motrice* ſcripſit Baglivius, haud parvi nominis & famæ, neque immerito: verum cum haud ſibi undique reſpondeat ſententia noſtra, libeat paucis ingenuâ philoſophandi libertate, de clariſſ: auctoris Inſtituto diſſerere,

Quam veniam petimus, damuſque viciſſim.

Primo ut probet Baglivius, vires ſolidorum, (ſic ipſi loqui libuit) longe præcellere fluidorum viribus, atque inde pateat, morbos pleroſque, in vitiatis ſolidis innocuo fluido quocunque; Rem propoſuit novam, & in Medicina inauditam, motum nempe ſyſtalticum ſeu pulſum duræ matris, ad Inſtar Cordis, quo propelli arbitratur liquidum nerveum, (quod tamen incogitantius ut videtur, viciſſim adſtruit & deſtruit) atque in motum cieri vectes, quas imaginatur, muſculares, quidquid tandem vel agit vel patitur compages nervea, com-

motui huic ſyſtaltico rite aut ſecus diſpoſito in ſolidum deberi. Detur hoc quodcunque commentum; Inde quidem ſequitur, duram matrem motui cordis ſuccenturiare, ad fluidorum molem per corpus propellendam; Verum quâ ratione conſequens ſit, ſolida viribus magis ſuperare fluida, quam quod hactenus notum eſt, minus patet; cum quantum accedit viribus duræ matris, tantundem a cordis momento ſubtrahi ſupponitur, ut univerſæ ſolidorum vires eodem ſemper maneant. Secundo haud adeo congruum videtur, Medicum mechanicæ deditum, atque hypotheſibus infenſiſſimum, quas utique, multis & acrioribus perſtringit verbis, rem novam hypotheſi ſuperſtruere, prorſum præcariæ, cujuſmodi exiſtit imaginarius ille duræ matris pulſus. Nervos quippe, membranas, tendines, & oſſa a dura matre; muſculos vero, glandularum parenchymata &c. à corde originem trahere, neque hactenus conſtat, neque rem probat, atque obſoletis quibuſdam de fœtus formatione innititur conjecturis. Conſtat enim hodie inter Ingenuos, non unam partem foetus ab alia oriri, ſed totius ſtamina, ſive in ovo fœmineo, ſive liquore a mare deciduo a Naturæ opifice in integrum, ante conceptum fabricata. Pulſum in dura matre ſentiri, cranio nudata, frequenti quidem obſervatione compertum,

 quod

quod in carotidum & vertebralium, duræ matris ſuperficiem concavam, pariter & cerebri ſubſtantiam, perreptantium, pulſu, haud ingenti ratiocinio, hactenus reponebant Medici: verum, inquit Baglivius, (atque en univerſi ſyſtematis unum, quod video, fundamentum) paucæ nimis exiſtunt hæ arteriæ, exiguæ etiam, atque paucâ nimis ramorum ſerie diſperſæ, ut pulſu adeo vegeto duram feriant meningem. Verum haud perquam difficili apparatu, contrarium experiri potuerit vir Anatomicus. Cerâ liquidâ in Carotides & Vertebrales probe injectâ, ut vaſa attingat minima, univerſam cerebri ſubſtantiam ramis arterioſis, tanquam ſpiſſiſſimo nemore, coopertam videre eſt; quod mihi luculenter obtigit inter exercitia Anatomica Illuſtris Anatomici Joſephi du Verney. Neque cuipiam id mirum videbitur, cui perſpecta eſt fiſtularis arteriarum harumce amplitudo, ut quolibet pulſus rythmo, totam cerebri molem tollant & expandant, unde ſequi neceſſum eſt, & duræ matris extenſionem & contractionem, eo magis ſenſibilem, quod plurima ramorum ſerie, eædem Arteriæ duræ matris perreptant ſuperficiem internam, quæ iiſdem etiam pulſuum ictibus alternis tollitur & contrahitur vicibus. Tertio, quæ de proportione tradit Baglivius: Inter activitatem & reſiſtentiam cordis & duræ

duræ matris, & æquilibriis inter ſolida & ſolida, fluida & ſolida, fluida & fluida, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi, quibus univerſum ſtrepet ſpecimen, ſonus duntaxat ſunt & termini generales, qui nihil præciſum continent in re naturali aut medica. Si quis de mundi univerſo philoſophaturus, proportionem inſtitueret inter activitatem & reſiſtentiam Solis & Lunæ, & æquilibria poneret inter elementa, Terram, Aërem, Aquam & Ignem; verba licet in infinitum protelaret, nihil tamen diceret, unde aut ſibi ſapientior fiat, aut aliis. Revera peſſime hactenus cum re medica actum eſt, quod vocibus generalibus, ne quidpiam definitum ſignificantibus, & ſibi & aliis illuſerint Medici.

Denique nimius eſt Baglivius in diſcrimine, undique fluida corporis inter & ſolida ponendo. Hæc enim revera niſi tenus magis & minus non differunt, cum vel ſolidiſſimæ corporis partes in continuo exiſtant fluxu, neque morbo afficiantur ſolida, ni ſit cauſa externa fluidis illæſis, ut ſimul non ſeorſim omnino conſiderari debuiſſent.

Ex his dependet, & in his verſatur univerſa theoria Bagliviana; cæterum medicinæ intereſſet, ut in opere, quod molitur, magno, ſeveriore rerum examine, juſtiore etiam verborum & dictionis delectu, magis ſibi conſulat & rei medicæ, neque præpo-

ſterâ nimis, (quam ipſe innuit) in Bibliopolas humanitate, eandem emolumento privet, quod a Baglivio attendebat. Ego ad rem accedo.

A detecto ſanguinis circuitu, hactenus fere exiſtimant Medici, cor vi emboli, ſanguinem ex arteriis in venas, per univerſum corpus propellere. Verum cogita, Arteriarum figuram conicam, latera robuſta, & emiſſaria exiliſſima. Cogita ſanguinis molem, per vaſorum ramos numero pæne infinitos propulſam, & quæ per ipſa viſcera, ventriculum præcipue, inteſtina & meſenterium, corporis partem maxime exanguem, in tantum ſcaturiunt, ut poſtquam cera liquefacta probe repleantur, vix ſtyli apice partem offendere poteris, quæ non ſit Arteria aut Vena conſpicua. Cogita etiam vaſa minima, fibras nempe muſculares, & glandularum ſtruem tortuoſo vaſorum ductu ingens complicatam; & poſtquam hæc tecum mente attentius revolveris, imaginare ſi potis ſis, num exigui muſculi, cordis circiter dimidium, viribus polleat, tot numero & pondere reſiſtentias ſuperare, ut uno ictu ingenti adeo momento, per univerſum corpus ſanguinis molem propellat?

Secundo Ingentes quidem reliquorum muſculorum reſpectu ſunt cordis vires, ut infra demonſtrabitur. Sed cujuſlibet Machinæ vis

motiva

motiva non menſuratur duntaxat a projectionis impetu, verum etiam a mole corporis projecti, ex quibus unâ ſumptis totius deſumitur momentum, ut ex mechanicis notum. Concipiatur E: G: vis motiva, quantum vis, ingens, globum ligneum exiguum projiciens, contra murum ex qualibet materie conſtructum; globus quidem aut diffringetur aut murum penetrabit, eundem vero ob exiguam ſuperficiem & debile ponderis momentum, minime loco movebit. Cordis muſculus, dum comprimitur, actione emboli ſanguinis uncias tres ad ſummum, in Arterias projicit, quod exiguum nimis eſt, ut univerſam reliqui ſanguinis molem, contra tot impedimenta ex arteriis in venas per univerſum corpus uno protrudat ictu. Demum

Tertio facilius hæc concipiuntur, ſi cogites, fiſtulas arteriales, non eſſe duras & rigidas, ut eorum latera loco moveri minime poſſint, neque prorſum ſanguine impletas, poſt quamlibet cordis ſyſtolem, ut ampliorem quantitatem minime recipiant. Hæc enim ſi ita fuiſſent, quantum ſanguinis quilibet cordis ictus in Arterias projicit, tantundem etiam, eâdem actione, per arteriarum emiſſaria, in venas propelleret; Aſt arteriarum pulſus plane demonſtrat, earum tunicas diſtenſiles eſſe, & quocunque modo truditur ſanguis ex arteriis in venas, deplentur viciſ-

ſim

ſim arteriæ & in ſe mutuo eorum latera collabuntur. Unde omnino perſpicuum eſt, ſanguinem vi emboli, a corde in arterias propulſum, eaſdem depletas, eâdem quantitate, immediatâ actione denuo replere, atque diſtendendo elevare; minime vero contra omnem reſiſtentiam ſuperius memoratam, eundem ex arteriarum emiſſariis in venas protrudere: Prima enim actio facilis eſt & immediata; altera vero ingens impedita, & non niſi primam conſequens.

Verum ut res extra omnem conſiſtat dubii ſuſpicionem (*a*), Borellum adi, qui ex mechanicis exquiſite demonſtravit, vim, qua ſanguis, præ ſua mole & arteriarum faſciis, expulſioni ex arteriarum emiſſariis in venas reſiſtit, ſexagecuplam eſſe virium cordis abſolutarum, quibus ſanguis in arterias propellitur. Hujus quidem Baglivius in ſpecimine ſuo, verum incogitantius & aliud agens meminit, qui demonſtrationis ſcopum vel neglexit, vel minus intellexit. Unâ quippe eâdemque cordis actione ſanguinem, in arterias projici, & ex arteriis in venas perhibet protrudi. Borellus vero ex propria demonſtratione, actionem ſtatuit, qua ſanguis ex arterias in venas propellitur, a motu, quo ſanguis vi emboli ex corde in arterias projicitur, diverſam omnino eſſe, & diverſo tempore præſtitam. Quare diverſa a cordis opus eſt machina,

(*a*) *De Motu Animal. Parte* 2. *Prop.* 72.

china, ad ſanguinis molem in circuitum propellendum : quæ, quænam, & qualis exiſtat, proxime cogitandum.

Qui de rerum natura & origine antiquitus philoſophati ſunt, mundi primordia ab Elementis deſumebant, Terra, Aqua, Aëre, & Igne; Priores deorſum mole ſuâ ruere, alteras ſponte naturâ, ſuperas ad auras evadere. Carteſius rerum atque cauſarum ſublimior ſpeculator, ἀφιλόσοφον iſthoc dicendi genus averſatus, corpora eatenus ſtatuebat gravia, quod præ ſoliditate Aëri impervia, ab Aëris columna ſuper incubente, actione cunei, verſus verticis centrum, depellantur; Levia vero cum poroſa ſint, Aëre magis fata verticali ejus motu, a terræ centro deferuntur, & ſurſum vadunt. Aſt hocce Carteſii commentum peſſum dedit, *(b)* Philoſophia Mathematica, quæ corpora quælibet inſita naturæ vi terræ centrum petere, i. e. gravitare docet; cui etiam congruit illa Philoſophiæ pars, quæ Experimentis occupatur.

Primo, Aërem ſua mole gravitare, plurimâ atque indubiâ experientia probavit *(c)* Boylæus, ut cunei a Carteſio fabricati, motuſque Aëris verticalis, ad corporum gravitatem aut

(b) Iſaaci Newton *Philoſophiæ Naturalis principia Mathematica.*

(c) *Experim. de gravit. & elaſt. Aëris.*

aut levitatem explicandam, omnino pro hominis more hypotheſios ſit commentum. Secundo (*d*), Flammam, corpus Aëre levius, atque ætheri cognatum, revera gravitare, ab eodem probatum. Tertio (*e*), Corpora terrena leviſſima, quemadmodum ſunt avium plumæ a pennis divulſæ, & in orbem expanſæ, quæ ſuſpenſæ in Aëre hærent libero, aut ſurſum petunt, in recipiente Aëre exhauſto, citisſime delabuntur, tanquam ſi ponderoſisſima extitiſſent, ut $\frac{1}{240}$ unius minuti non potuerit delapſus menſurari, a ſummitate ad fundum Recipientis quinque pedes profundi. Ad idem confert (*f*) Acad. Scient. Pariſienſis experimentum, quod duo globi ejuſdem molis, ex ligno unus, alter ex ſambuci medulla tornatus, in loco occluſo ad 147. pedum profunditatem, eodem temporis Articulo delapſi, eodem etiam temporis Articulo terram feriant, ſecus omnino in Aëre libero. Ex quibus conſtat, omnia indiſcriminatim corpora gravitare, licet non ſit eadem gravitas omnium ſpecifica; quemadmodum oleum haud ſecus gravitat, quam aqua ſpecifice tamen levius exiſtens, aquæ omnino ſupernatat, quemadmodum Aër oleo, & Aëri flamma.

Ex

(d) *De ponderabilitate flammæ.*

Idem *Experimentorum phyſico mechanicorum continuatio.*

(f) Du Hamel *Hiſtoire de l'Academie des ſciences.*

Ex his liquet, corpus quodvis, molis cujuſlibet & compagis, eadem vi deorſum gravitare, ni accedat vis alîorſum premens niſui huic ſuperior.

Si hæc rite mente concipias, ſponte obveniet Tibi cogitatio, univerſam naturam originis ſuæ inſtituto, in ſemet niti; neque enim aliud eſt gravitatio corporum, quam eorundem ſeu molecularum corpora conſtituentium, in ſe mutuo niſus; & quod ſtatus rerum naturalis ſit immediatus contactus, dimotio vero a contactu, ſtatus naturæ contrarius ſeu violentus. Hinc intelligitur continui adhæſio, res alias intellectu perquam difficilis, quin vereor, plàne impoſſibilis; cum de cohæſione Aëris corpora terraquea prementis eadem redeat quæſtio. Ex his demum percipies, quod vires corporum elaſticæ, ſive incurventur, ſive diſtrahantur, in eo conſiſtant, quod remotis impedimentis in mutuum denuo, moleculæ corpora conſtituentes a dimotione, ruant contactum, celeriori eatenus impetu ſeu momento fortiori, quo magis a ſe mutuo dimovebantur; ni accedat partium divulſio: Quomodo autem corpora ſe diſtrahi patiantur ſine partium divulſione, ex (g) Bellinio intellige.

Ex dictis patet, Elaterem, ſeu contractionem corporis diſtracti, ejuſdem gravitationi con-

(g) *De Contractione Naturali.*

congenitum eſſe; atque ſic omne corpus eſſe elaſticum, ſeu contractile, quemadmodum, & omne corpus grave exiſtit, idque rerum conſtat inductione.

De Aëre res omnino conſtat, aquam etiam compreſſilem eſſe, & momento inſigni in vim quamlibet comprimentem reniti, haud minus ex (h) Boylæo conſtat, qui licet hæſitanter de re pronunciet, in dubio hærens, an aquæ, an vero äeri in aquæ poris hærenti, effectus attribuat aquæ elaſticos, id ex eo fiebat, quod de Elatere corporum in genere minus cogitabat. In ſolidis, ne nimia inductione tædium pariam. En vitra omnium rigidiſſima, quorum reniſum elaſticum ad ſenſum demonſtrat communem, ſonorum propagatio ex vitris pulſatis, vel ſolido mediante corpore, vel fluido Aëreo muſice vibrato. In genere, corpora fluida non reapſe, ſed diverſis motus gradibus a ſolidis differunt, una igitur & eadem exiſtit elateris cauſa in utriſque, ut nullum prorſus ſit corpus, quod non ſit magis aut minus elaſticum, ſeu niſu pollens, poſtquam comprimitur ſeu diſtrahitur, (neque enim comprimitur corpus ſine partium diſtractione) in priſtinos contactus redeundi.

Verum inter reliqua corpora, quam ingens ſit vaſorum animalium elater, ſeu vis contrac-

(h) *Experimenta phyſico mechanica de gravitate & Elaſt. Aëris.*

tractilis, patet ex vivi animalis canalibus amplioribus, motu periſtaltico dicto, indeſinenter diſtractis & renitentibus; ex fibris muſcularibus tranſverſim ſectis, quæ continuò idque celerrime, verſus muſculi extrema renituntur, & reſiliunt; atque imprimis poſtquam mortuum eſt animal, ex Muſicorum delectu, qui ex animalium canalibus præ reliqua fere materie chordas conficiunt Muſicas, ob vegetiorem nempe chordarum ejuſmodi elaterem. Baglivii methodum Anatomicam hic parum moror, neque mihi hactenus ſuadeo, exquiſitiſſimâ fibræ diſſectione, quidpiam innoteſcere mechaniſmi hujus elaſtici, qui, minutum quid nimis eſt, ut oculis pateat.

A perſpecto corporum elatere generali, atque ex hoc perſpecto etiam vaſorum animalium elatere, proximum incumbit cogitare, quâ machinâ molita eſt natura, elaterem vaſorum vegetius exerere.

Ex dictis de Elateris actione, experientiâ etiam conſtat, quo magis diſtrahitur corpus quodvis, ſine divulſione partium, idem fortiori vi, ſeu impetu magis vegeto, remotis impedimentis, in mutuos denuo reniti contactus, ut priſtinum recuperet tenſionis ſtatum Quamobrem cautiſſime a natura proviſum eſt, animalium vaſa, arterias imprimis, emboli cordis actione, inſigni modo alternis

pulſuum vicibus diſtrahi, atque latitudine ampliari, ut fortiori momento in fluida contenta renitantur, eademque comprimant in progreſſum ſui motus. Perſpicuus magis fiet rei conceptus, ex viribus cordis, reliquorum muſculorum reſpectu, probe intellectis.

Ex Anatomicis notum eſt, muſculorum tendines, quibus trahuntur Oſſa & Artus, non oſſium extremis, a centro motus maxime diſtantibus alligari, quod ſapientiſſime cautum a naturæ opifice: Id enim ſi fuiſſet, dum muſculi contrahuntur, in monſtroſam excreſcerent latitudinem & craſſitiem, motui animalem commodam pariter & impoſſibilem; quare ipſis oſſium tuberculis, in quibus eſt centrum motus, vel tuberculis quam proxime inſeruntur. Unde non ſolum pondera quævis appenſa ſuperare habent muſculi, ſed vectis oſſei longitudinem, cujus extremitati appenditur pondus; & eorum vires abſolutæ menſurantur a ponderibus quæ ſuſtinent, & diſtantia directionum a Centro, ita ut vigeſies & amplius viribus ſuperent reſiſtentias ponderum, quibus elevandis ſufficiunt, quod egregie ex mechanicis demonſtravit Borellus in eximio opere de motu animalium. Ex quibus patet, ingenti virium momento, cordis muſculum, cæterorum muſculorum reſpectu, pondera elevare, ſeu ſanguinis molem in Arterias projicere, quod non vectis ope,

ſed

ſed motu ſimplici vires ſuas exerat.

A validiſſimo cordis muſculo, alternâ vibratione, projicitur in Arterias moles ſanguinis determinata, quarum inde, compages univerſa, in amplitudine dilatatur & diſtrahitur, nempe molem ſanguinis, quæ in Arterias projicitur, non recipiunt Arteriæ, ni præcedentem loco pellat; hæc vero non pellitur loco, ni quæ anterior eſt, locum etiam cedat, & ſic deinceps ad vaſa minima, per quæ non tranſit ſanguis vi projectionis a corde, ob reſiſtentias ſuperius memoratas; & cum retrocedere nequeat a valvulis impedita, ſecundum canalium latitudinem motus ſui exerit vires, unde dilatantur vaſa & diſtrahuntur plus minuſve pro projectionis momento, fortiori aut debiliori. Deinceps diſtractionem ampliorem renuentes, faſciæ arteriales, renixu elaſtico in ſanguinem regrediuntur, eundem undique comprimunt, unde fit totius molis, per vaſa minima, ex Arteriis in Venas expreſſio, & per univerſum corpus circuitus. Si id minus concipias, cogita, quamlibet ſanguinis ſuperficiem minimam, ab Arteriæ villo incumbente comprimi, ut momentum, quo univerſa contrahitur arteriarum compages, omnino fere immenſum ſit. Quanta autem ſit vis, quâ ſanguis vi projectionis a corde arteriarum feriat latera, & per conſequens eadem elateris actione in ſanguinem renitantur, concipe ex

Arteriæ Aneuriſmate, læsâ, quovis modo, vel debilitatâ, unicâ tunicæ Arterioſæ plicâ exteriore.

Non igitur cordis actione immediatâ peragitur ſanguinis circuitus, quæ utique ex dictis, & Borelli demonſtratis ſexagecuplâ proportione, minor eſt reſiſtentiis omnibus in unum collectis: Verum ſanguis a corde projectus Arterias dilatando, & diſtrahendo, in cauſa eſt, quod eædem, renixu ſuo in ſanguinis molem, eundem undique comprimant, atque per univerſum corpus in circuitum propellant & trudant.

De mechaniſmo, quo molita eſt natura ſanguinis per vaſa minima circuitum, hactenus dictum. Lymphæ & liquidi nervei motum paucis deinceps expediam. Fluida hæc pariter actione emboli, arteriarum nimirum reſtrictione, in vaſa ſua projiciuntur: Hæc quidem non conica ſed cylindrica fere exiſtunt, & hac quidem ratione, non dilatantur quemadmodum Arteriæ a fluido projecto. Diſtrahuntur tamen a multiplici reſiſtentia fluidorum progreſſui obvia. Primo, reſiſtit fluidum in canalibus præexiſtens, ſua mole inerte. Secundo, fluidorum motus non fit ad lineas directionum rectas, ſeu canalium lateribus paralelas, ſed pro vario fluidi a tergo prementis impulſu, canalibus impingunt & reflectuntur, ad angulos plus minus obtuſos:

Hi

Hi, quo minus obtuſi ſunt, ſeu ad rectos magis accedunt, majori fiunt motui, reſiſtentiæ, ut patet. Tertio, Hæc eatenus magis conſpicua fiunt, quod nervi, nobilisſimi imprimis, ſexti & octavi paris, quam primum cranium egrediuntur, tortuosâ volvuntur ſemitâ, multifario implicantur nexu, in retia & ganglios texantur, per univerſam viſcerum compagem numeroſos; ut infinita fere, fiant inde motus impedimenta. Quarto, Lymphatica vaſa, omni valvularum veſtigio, quæ latitudine ſemipollicari, vix a ſeinvicem diſtant, haud ſecus, ac ſi filo conſtringeres, anguſtiora exiſtere, nudo oculo conſpicuum eſt, vel in grandioris animalis vivi ſectione, vel iiſdem Mercurio repletis. Impedita his reſiſtentiis fluida, omnino in latum ſe expandunt, diſtrahunt canales in majores latitudinis ſuæ diametros, eadem denique ſuccedunt, quæ ſuperius de ſanguinis motu demonſtrabam.

En Rationem naturalem & mechanicam, nulli innixam hypotheſi, rei quidem apud plurimos novæ, verum ex dictis indubiæ; ſummi autem in Medendi Arte momenti, ex dicendis haud minus patebit. Quodcunque enim motu canalium peragitur, hinc in ſolidum dependet; ea autem ſcientiæ Medicæ pars eſt haud exigua, cum motus fluidorum a canalium tenſione elaſtica rite aut ſecus

diſpoſita, rite etiam aut ſecus procedat.

De veteri Medicina. Sæpius mecum cogitabam, cum Hominum corpora una exiſtant & eadem ab omni ævo, atque eodem modo a circumambientibus afficiantur, quamobrem, inquam, veteres medendi canones, cum inutilibus proficuos prorſum fere neglexerint Medici, atque in novis indies excogitandis indeſinenter ad ravim uſque ſe occupent. Sed nimium in omni affectu eſt Hominum genus, & quibus paulatim aſſuevit ſive bonis, ſive malis, ea indiſcriminatim tenuit. Veterum quidem Medicina interna pauca exiſtit & inculta, & quam infinitis modis ſuperat hodierna, eatenus duntaxat incuſanda, quod nimia ſit & præparatione & copiâ. In externis mage verſata eſt vetus medendi ratio: unde balnea, cucurbitulæ, ſinapiſmi, fuſtigationes, frictiones, uſtiones, & ligaturæ dolorificæ, omnem fere apud antiquos, Hippocratem imprimis, implent paginam. In Æteologia tradenda, haud adeo quidem Philoſophi, unde Recentiores, a falſa theoria, pravam, ſaltem inutilem praxim, ut mali Corvi malum ovum oriundum, cenſebant. Verum hi minus advertunt, primordia Medicinæ non ratione, ſed caſu detecta fuiſſe; & prout quiſque vel Ingenio pollens, vel nominis excellens fama, ratiocinia excogitabat, cæterum magiſtrum aut antiquitatem

vene-

venerabundi, in partes & ſententiam ibant. Externus ille medendi apparatus ad ſtimulum pertinet.

Stimuli Medici, doloris ſpecies ſunt aut voluptatis. Utro vis modo pars afficiatur, Naturæ animalis conſtitutione, tremor incutitur parti validus, qui ex parte in ſenſorium commune undulatorio nervorum motu delatus, vegetiore motu partem denuo ferit, eademque motus ſpecie liquidum exagitat contentum. Ad dolorem tamen non nimis intenſum, imprimis pertinet ſtimulus Medicus; unde tremor mage validus canalium quatit villos, quorum motu celerius & momento fortiori undulant fluida contenta; quidquid in vaſis minimis, vel intra villorum hæret interſtitia, conquaſſatur, comminuitur & elutriatur, fortiori vi, atque magis expedito, quam quo agunt medicamina quævis interna, quæ quantumvis ſanguinem exagitant, incaſſum ſibi viam expediunt, quamdiu vaſorum torpet renixus. Quare optimo Indicio tantopere in ſtimulis verſata eſt vetus medicina, quam hodierni homunciones tanquam Barbaram temnunt & incultam. Hipp. in membrorum atrophia, frictione dolorifica, uſtione etiam ſubinde, curam adornabat. Auri quidem Philoſophi durius ſonat, ſpiritus aut fluida quævis ad extra trahere, quemadmodum Hipp. loqui ſuevit.

De ſtimulis Medicis.

vit. Sed cogita tecum, an non ex dictis de ſtimulo, Mechanica rei pateat ratio; nempe quod copioſior in partem dolentem fiat liquidorum fluxus, ob renixum canalium fortiori & celeriore impetu exertum. Veterum ſtimulorum vice unicus hodie Medicinæ ſuppetit præter cucurbitulas, cantharidum uſus epiſpaſticus, quem Arabibus debet. Neque tamen in cantharidum uſu de ſtimulo ſæpius cogitant Medici, quin potius ſeri ſanguinis derivationem moliuntur & evacuationem, unde peſſimo abuſu in quolibet morbi genere & ægrorum temperatura, quam primum de ſero a capite præſertim evacuando ſuppetit indicium, derivationem veſicantibus ex cantharidibus inſtituunt. Abuſum hunc præ reliquis, haud exiguo nominis ſui decore & Medicinæ emolumento, experimentis & ratione mechanicâ detexit Baglivius. Cæterum haud magis reſpondent cantharides omni ſtimuli indicationi, quam veratrum aut convolvuli Syriaci ſuccus, univerſo congruunt purgantium ſcopo, quemadmodum enim cuilibet indiſcriminatim morbo, aut ægri temperaturæ, ubi purgandum eſt, non convenit helleborus aut ſcammonium, ita ſæpius ſtimulo opus eſſet externo; cum, præ igneâ cantharidum indole corroſivâ, anceps nimis ſit hujuſmodi ſtimuli uſus: ut omnino pudeat, vagam medicinam, inter tot numero infinita,

ta, indies detecta & detegenda medicamina, de errore ſuo gloriabundam fluctuare, non niſi una ſtimuli ſpecie fretam, quantopere licet pluribus indigeat.

Actioni ſtimuli Analogum eſt omne exercitii genus, quo corpus vel corporis membra, reciproco agitantur motu; unde ut patet in conſenſum tracta canalium compages, fortiori nixu elateris ſui exerunt vires, & fluida propellunt torpentia. Hinc eſt, quod in equo vehi morbis chronicis, plurimum conferat, ob toties in infinitum fere repetitam totius corporis ſuccuſſionem, unde imaginatu fere impoſſibile eſt, quidpiam adeo tenue & obſtinatum, in vaſis minimis aut villorum hærere interſtitiis, quod canalium renixui tot infinitis vicibus repetito, atque momento corporis agitationi proportionato, non cedat. Eadem omnino ratione, dum non niſi de luxu, aut corporis elegantia, cogitant matronæ, optimo ratione prolis ſuæ conſuluunt ſanitati, dum Gnatas ſuas delicatulas, imprimis cum menſtrua inſtant, quod mage ſuetum, in tripudiis exercendas tradent & choreis muſicis. De Exercitiis.

Sanguinis miſſio inſtituitur, ob plethoram, quam ad vaſa dicunt; nempe cum ſanguinis, vel pro nimiâ mole, vel expanſionis impetu, reſiſtentia, ſuperat vires canalium contractiles, ut juſto renixus De miſſione ſanguinis.

momento, actione alternâ, eundem non comprimant in circuitum per vaſa minima. Hinc in morbis inflammatoriis, pleuritis lumbago, cephalalgia, dolores Artuum ἰσοκόποι &c. & id genus. Detracto ſanguine ut vaſa depleantur, canalium villi renixu ſuo fortius agunt in reſiduum, & levantur ſymptomata, ut patet. Diversâ ratione, ſolutionem problematis Pitcarniani a Bellinio præſtitam ambiguam habeo; nempe quantum ſanguinis diſpendium, ſine læſione virium naturali, ferre poſſit animal. Hujuſmodi diſpendium ad $\frac{2}{3}$ aut amplius totius molis, extendi poſſe, conſtituit Bellinius. Verum ex dictis de ſanguinis circuitu, conſtat, non niſi canalium renixu, tranſitum fieri totius molis per vaſa minima. Detractis autem totius molis duabus tertiis, canalium latera renixu ſuo reliquam vix attingent, nedum in omni ſuperficiei puncto comprimunt, & ſi non comprimant, neque fit circuitus, & moritur animal.

Detrahitur etiam ſanguis per venam ſectam, cum præ nimiâ partium cohæſione, totius molis compages eſt ſolvenda, ut intima fiat partium dimotio; ſanguine enim juſtâ quantitate detracto, quod reliquum eſt canalium oſcillatione, fortius conquaſſatur, minutius conteritur & comminuitur. Quomodo facilius concipere datur dimotio molis ſanguineæ,

quam

quam ab accelerato motu, ni ſaltem utrumque ejuſdem cauſæ, alterni nempe canalium renixus, effectus unâ concipias.

Hæc, atque non niſi hæc intelligo indicia ſanguinis detrahendi, (de diatheſi ſanguinis loquor) ni nefaria nebulonum praxi indiſcriminatim hauriamus purpureum vitæ fomitem, atque id naturæ relinquere ſatagant Medici, ne quid detrimenti ex tenebris ſuis patiatur Hominum genus. Quæ vero a ſanguinis detracti coloribus & phaſi perhibent, in his ſæpius & ſibi & ægris illudunt: Quilibet enim indies experietur, pro orificio plus minus anguſto, & vaſis amplitudine & profunditate, in quo recipitur ſanguis emiſſus, variam fieri cruoris phaſin.

Ventriculum inter vomendi nixus, Vomitus. non inverſo fibrarum motu, ſed ab abdominis & diaphragmatis muſculis, ſpaſmodice contractis, vicibus reiteratis compreſſum & conquaſſatum, quæ intus contenta ſunt ſurſum rejicere, experimento detexit (i), Chiracus Monſpellenſis, ſtimulo igitur ab emetico exhibito fortius quatiuntur abdominis nervi; quod eatenus etiam patet, quod a ſtibii particulis exiliſſimis, & quæ omnem præ tenuitate fugiunt ſenſum, neque menſurâ dignoſcuntur, ingens vomunt Homines: Nem-

(i) Vide Tourneforte *Hiſtoire de Plantes &c. Preface.*

Nempe ſtamina nervea a ventriculi plexu, tremorem ad cerebrum deferunt, cujus liquidum undulatorio motu, in diaphragmatis & abdominis muſculos devectum, eoſdem ſpaſmodice contrahit, & univerſa viſcerum vaſa in motus trahuntur conſenſum; unde ratione ſuperius de exercitiis tradita, ſed fortiori momento, alterno renixu, quæ intus hærent elutriant & exprimunt.

Purgatio. Duplici ratione ſolvitur alvus, oleoſo quopiam ore devorato, aut per anum injecto; vel acri ſalino; muriatico imprimis. Hinc ſal communis haud minus feliciter homines purgat, quam purgantium quævis præſtantisſima. Si Inteſtinorum villi rigidi fiant, (quemadmodum corium, ad ignem aduſtum aut Sole induratum) torpent, & quaſi mortui jacent oleo aut butyro inſulſo illiti, nempe humido molliore imbuti, priſtinas recuperant vires & renixus, & quidquid intus contentum aut deforas allabi pronum eſt, exprimunt & corpore rejiciunt. Salia vero actione ſtimuli, inteſtinorum glandulis & ſanguini allabentia, canalium villos, in fortiores movent renixus, ut accedente ſanguinis fuſione, quæ magis ſoluta ſunt, per vaſorum rejiciantur emiſſaria. Hinc licet rem minus explicet, haud male poſuit (*k*) Pechlinius, in ſapa, olei nempe & ſalis combinatione, vim Medi-

(k) *De Purgantibus.*

Medicamentorum purgantem. Ex quibus patet pro habitu canalium, ſeu ſolidorum corporis, magis rigido aut laxo, debili aut vegeto, oleoſis potius quam acribus, i. e. quæ pluri oleo, minus ſale fœta ſunt, aut vice verſâ, purgationem moliendam; quibus cum minus attendunt Medici, aut alvum vix vel non movent, aut difficulter atque nimium movent; quibus probe congruit (*l*) Ramazinii obſervatio, Ruricolas, & qui corpore ſunt robuſto & habitu Athletico, minus ſæpius ferre Medicamenta purgantia, quam qui delicatius & otioſe in urbibus degunt. Illorum nempe ob frequens exercitium, fortiori nixu contrahuntur canalium villi, ut minus ferant purgantium ſtimulum de novo ingruentem. In his vero torpent otio canales, ut ſtimulum non ferant modò, quin omnino indigeant.

Sudor.

Ingenti medicamentorum ſuppellectile, ſudorem prolicere moliuntur Medici, quod rarius ſuccedit. Enimvero in denſo corporis habitu, & rigida cutis tenſione, incaſſum, ignea medicamentorum vi ſanguinem exagitas, qui quantumvis in cutem arietat, nullam parat ſibi viam, per portam occluſam, & ardor ſuccedens cum ſiti & febricula moleſta, ægrum fatigant in Medici & Medicamenti opprobrium, quod aliquoties expertus ſum:

(l) *De Morbis Artificum.*

ſum : Neque meliorem vidi ſucceſſum, ni in hypocauſto occluſo ſedeant, aut ſtragulis opprimantur; quorum calore externo dimoventur cutis villi, & aperiuntur glandulæ, ut ſubinde ſuccedat ſeri profluvium, quod ſæpius etiam minus ſuccedit, ni humido calente foveatur cutis, ut villi una laxentur, atque ſtimulo in oſcillationem irritentur. Unde rarius aut nunquam me fefellit muliercularum Inſtitutum, (certisſimo indicio Rerum effectus caſu ſæpius repertos, non a cauſâ inveniri rite perſpectâ) quæ amphoram lapideam ampliorem, aqua fervente repletam, ægri pedibus, ſub ſtragulis reponunt, & ſudor profluit ſine Medicamento copioſus; occluſo nempe aqueo vapore caleſcente, ſolo fotu externo prolicitur ſudor. Eadem ratione in alvo duriore, aut cum medicamentum difficilius ſuccedit, ſubinde impero, ut ſupra fotum vel aquæ vel lactis caleſcentis, ſedeat æger, & vaporem nudus per anum recipiat. Similis mihi praxis in menſium obſtructione aut difficiliori fluxu. Pro Ægræ nempe habitu, & morbi ſtatu, fumigia impero aut humida aut ſicca, ſubinde cum, ſæpius ſine medicamine interno, utrumque proſpero magis & faciliore ſucceſſu, quam ſi fluida corporis medicaminibus, plus quam nimis, quod moris eſt, fatigaſſem.

Ex dictis patet, quamobrem qui difficillime

me ſudant quieti, exercitio tamen valido bene agitati, ut canalium fiat renixus vegetior, facili ſatis opera ſæpius ſudore diffluunt.

Balnea calida ſunt aut frigida. Utriuſque frequens apud veteres uſus, quem pene oblita eſt hodierna Medendi ratio. Liquida calore devecta, cutis ſubire villos, atque altius in corpus penetrare, perſpicua ratione experimentis fulta demonſtravit (*m*) Bellinius; quod etiam probat Balneorum uſus efficax, in viſcerum dolore & obſtructionibus obſtinatis. Hinc febrium cura apud (*n*) Galenum, tota fere in Balneis eſt, optima ſane ratione, modo ſudore inſtituenda ſit. Si ubivis anceps ſit ſudoriferorum uſus, nulla habita cutis & canalium ratione, in febribus omnino temerarius exiſtit, dum irritâ cogitationem ſanguinem hactenus ferventem & occluſum intenſe commovent; cum Balnei uſu laxari cutus potuiſſet, atque una canalium villi calido humidiore erecti, faciliori operâ in ſanguinem renitantur, ut quod ſeri fluidius eſt, per glandularum exprimant emiſſaria. Balnea.

Balnea frigida haud minus commendat (*o*) Galenus in ſoluto corporis habitu, in febre hectica & ſudoribus nimiis, ni adſit viſceris

(m) *De miſſione ſanguinis Art. de Balneis.*
(n) *De Methodo curandi ad Glaucum.*
(o) Idem *Method. Medendi lib. 10.*

inflammatio. Nempe frigidâ contrahuntur cutis & canalium villi, ut liquidorum fluori magis reſiſtant. Quarè ſudoribus colliquativis vix aliud hodie experimur remedium, quam liberiorem Aëris frigidi acceſſum.

Ex dictis patet, atque ultra ex dicendorum ſerie patebit, ſanitatem animalem conſiſtere, in juſta canalium tenſione, ut vegeto renixu, canalium villi alternâ contractione, fluida comprimant in circuitum per vaſa minima, morbi vero genus univerſum in iiſdem ſublatis.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Aquis Mineralibus.

QUI in Aquis mineralibus examinandis operam poſuere, ad unum omnes, Aquis evaporatis, reſiduum ignis ſubjiciebant torturæ, ut encheireſi Chymicâ contenta obtinerent; examinationem hujuſmodi, Rei cardinem arbitrati, unde nempe de Aquarum natura & operationibus Medicis, certius ferrent Judicium. Verum hactenus parum de Re conſentiunt. (a) Henric. ab Heers inter Primos, Sulphur, Vitriolum & ferrum, virtutem & vires

(a) *Spadacrene.*

vires Acidulis Germaniæ præbere, acutâ propoſuit indagine. Galli, forſan viri auctoritate & doctrina capti, idem omnino de Aquis ſuis prædicabant, donec (*b*) Petrus Givræus, manu ſedulius operi admotâ, obnixe contendit, neque in Galliæ, neque in Germaniæ Aquis, quodvis exiſtere vitrioli genus, quin ferrum cum vitriolo omnino conſortium renuere, quippe quod confeſtim in cuprum convertit; idque experimento multiplici probare conatus eſt. Poſt hunc Academia ſcient. Regia Pariſienſis, experimenta adornante clariſſimi nominis (*c*) Du Clos, neque cum uno, neque cum altero convenit, horum nihil in aquis dictis reperiebat; nitrum duntaxat Ægyptiacum, eatenus a nitro diverſum, quod inflammabile non ſit, & terram incerti generis metallicam ex aquis extrahere potuit. Hiſce videtur aſſentiri (*d*) Liſterus, qui Angliam ſuam nitri hujuſmodi mineris abundare, plurimo experimento teſtatus eſt, & Ipſus mihi retulit. Attamen Honorandus (*e*) Boylæus idem fere ſtatuit de Angliæ Aquis, quod ab Heers olim de Germaniæ ſuæ fonti-

(b) *Eaux minerales de Provence.*

(c) *Obſervations ſur les eaux minerales de France par Mr. du Clos.*

(d) Libri titulus ni fallar, neque enim apud me ritineo, *De aquis medicatis Angliæ.*

(e) *Minerall waters of England.*

tibus ſtatuebat, & quidquid tandem in Aquis his reperire eſt, ad vitriolum refert.

Ex his patet, Eximios Viros, nimiâ credulitate ſibimet impoſuiſſe; vel ambitione, ad aliorum detecta cæcutiiſſe. Crederem ſane quidpiam ex omnibus jam dictis repereundum: neque tamen hoc videtur præcipuum, quod in Aquis his quærere debemus.

Experimenta.

1. Aquæ Minerales Aquisgranienſes, Spadanæ, Bourbonenſes, Tunibrigenſes, eundem obtinent colorem & ſaporem, eâdem pollent naturâ, iiſdem viribus, ſi magis & minus excipias. Id ex jam dictis patet. Qui enim de iiſdem experimenta inſtituebant, idem de univerſis ſtatuunt, quod de ſingulis. Id ipſum Ego de Scotiæ noſtræ Borealis Aquis famoſisſimis, Aberbrothicenſibus & iis, quæ a Promontorio Petri nomen obtinent, expertus ſum.
2. Aquæ hæ recens e fontibus extractæ, vaſi vitreo incluſæ, coloris ſunt ceruleoviolacei, ſaporis metallici vegeti, deſcriptu difficilis, qui tamen ad ferri ſaporem maxime accedit.
3. Cuprum infuſum in ſolutione Vitrioli communis, ſeu Martis, exhibet colorem cæruleum levem.

4. Ca-

4. Caput Mortuum Entis veneris, ex Cupro parati, ſolutum in ſp. ſalis ammoniaci, coloris eſt cærulei.
5. Cuprum infuſum in Aq: forti aut ſp. nitri, ſolutionem præbet viridi cæruleum.
6. Cuprum ſolutum in aceto, ad conficiendum viride Æris, coloris eſt viridis, qui obſervante (*f*) Boylæo, in hocce præſertim metallo, ex cæruleo conficitur cum pauco flavo.
7. Cuprum ſolutum in ſp: nitri. Pul: gallarum admixto, colore minime mutatur.
8. Solutio vitrioli veneris ſeu cærulei, in aq: communi, pul: gallarum admixto, colorem exhibet gramineo viridem elegantem; in quo experimento nimia facilitate hallucinatus eſt (*g*) Boylæus, dum imaginatus eſt, quodvis genus vitrioli ſolutum adſtringentibus admixtis nigreſcere.
9. Lævisſima infuſio ferri in aq: frigida, cum pul: gallarum dilute nigreſcit.
10. Solutio florum lapidis hæmatitis (ex minera ferri) in aq: communi cum pul: gallarum nigreſcit.
11. Solutio vitrioli albi in aq: communi, pul: gallarum admixto, tincturam exhibet nigram attramento vix inferiorem.
12. Aquæ noſtræ poſtquam leviuſcule ſuper

 ignem

(f) *De Coloribus.*
(g) Idem *de Color.*

ignem ebullierunt, colorem cæruleum elegantem deperdere incipiunt. Minus a gallis admixtis colore alterantur. Evaporatâ ad dimidias aquâ, tanquam putealis fit a fortiori ebullitione, & colorem fuſcum turbidum, plus minus pro aquarum diſcrimine a gallis induit. Saporem interim retinent ſtipticum.

13. Aquæ Aberbrothicenſes, pulvere gallarum admixto, coloris ſunt purpureo rubri, ad vim rubri gallici colorem accedentis.

14. Quæ a Petri promontorio nomen obtinent, a pul: gallarum admixto, coloris ſunt cæruleo nigri, & atramentum Bonæ notæ ex tempore conficiunt.

15. Affusâ aquâ communi, ſuper aquas proxime dictas pulvere gallarum alteratas (duplâ plus minus ad miſcelæ quantitatem proportione) percipere incipiebam reflexionem rubram in certa vitri poſitione, quæ pluſcula affuſione (proportione jam circiter triplâ) colorem prorſus induebant aquæ Aberbrothicenſis a gallis admixtis.

16. Ex affuſione jam dicta, quæ craſſiora in Aquis exiſtebant, in amplexus ruebant mutuos, & aliquamdiu in fluido natantia, tandem ad fundum ſubſidebant aquæ jam limpidæ factæ, & rubedine ſuâ privatæ; Hanc decantatam cum pul. gallarum denuo admiſcui, unde rubedinem priſtinam recupera-

perabat. Maxima tamen aquæ communis quantitate affusâ, nihil prorſus ad fundum ſubſidebat, neque omnino turbata aquæ diaphaneitas.

17. Solutio vitrioli Martis in aq: Com: ſyrupum violaceum colore viridiuſculo tingit, nullo rubedinis indicio.

18. Sp: vitrioli pauca quantitate affuſus, ſolutioni vitrioli Martis in aq: communi cum gallis admixtis, pulverem ad fundum præcipitat relictâ aquâ diaphanâ.

19. Ol: Tartari per deliquium & ſp: C. C. guttatim aquis noſtris affuſus, colorem aquarum nativum in album mutat ſubfuſcum; Pul: gallarum in miſcelam projectus, dimidiâ circiter colorum proportione eaſdem tingit.

20. Sp: nitri & vitrioli, vix quidpiam colorem aquarum nativum alterant; projectus tamen in miſcelam pul: gallarum, ne hilum magis operatur, quam ſi in aquam projiceres communem.

Cuprum Aquis mineralibus ineſſe, conſtat aquarum colore cæruleo, collato cum Exper: 3, 4, 5, 6; Cuprum enim in quovis menſtruo & quocunque gradu ſolutum, tincturam præbet cæruleam: Neque quodvis aliud metallum cupri expers, menſtruum, quo diſſolvitur, cæruleo tingit colore. Cuprum vero non eſſe, quod aquas has unice

tingit, patet ex aquarum ſapore ferreo: Exper: 7 & 13. cum 14.

Præſentiam ferri probat ſapor aquæ ferreus Exper: 1. cum Exper: 9 & 10., ex quibus patet, quampiam ferri ſolutionem affuſis gallis nigreſcere plus minus. Neque aliud quodvis metalli genus ſolutum, ferro excepto, a gallis alteratur. Diutius tamen attonitus hæſi, dum aquas Scarisburgenſes Anglicanas, probe ſervatas cum Gallis admiſcui, eaſdem ne vel minimâ nigredine infectas inde obſervabam. Poſtquam tamen unius nycthemeræ ſpatio in vitro remanſiſſet miſcela, nubecula nigra ſummitatem verſus ſuſpenſa ſtitit, quæ ſenſim ſe expandens poſt duodecim circiter horas intenſa ſatis nigredine aquam colorabat.

Vitriolum in ſe ſpectatum, ut ut vulgatisſima ſit opinio, aquas Minerales non imprægnare, conſtat Exper: 8. de vitriolo veneris inſtituto, cujus nempe ſolutionem viridi colore, cupro ſeu veneri proprio tingunt galli.

Statuendum igitur, Ferro omnino vitrioli Martis Baſi in ſolidum deberi & ſaporem Aquæ Mineralis, & a gallis admixtis colorem nigrum.

De Alumine Givræi, atque de Cloſii & liſteri Nitro, cum parum aut vix differant a

ſale

ſale naturali Terræ, a (h) Tournefortio imprimis eleganter & nitide deſcripto; vix mihi dubium, quin id ſalis genus conſtituat, quidquid ſalſum in aquis exiſtat. Nimium tamen deſudat Givræus, dum operoſisſimo apparatu probare nititur, ferrum & vitriolum hoſpitium renuere mutuum; quin hoc illud in cuprum convertat. Patet enim (Exper: 17.) vitriolum veneris ſeu ex cupro confectum, in aq: communi ſolutum, cum gallis vireſcere, quod vero ex ferro conficitur, plane nigreſcit; indicio prorus manifeſto, ferrum, ex quo fit, vitriolum Martis dictum priſtinum ſuum genium retinere.

Verum, nullum eſſe corpus minerale fixum, unde nomen & naturam aquæ minerales mutuantur, docet; Primo, exper: 12; neque hic opponendum, colorum abſentiam vel præſentiam, minime naturam Rerum variare, quippe jam patet, leviſſimam ferri ſolutionem (exper: 9.) a gallis admixtis nigreſcere, unde quo magis aquas minerales evaporares, eo magis intenſam a Gallis ſuſciperent nigredinem, aucta nempe mineralis fixi proportione. Manet quidem poſt ebullitionem ſapor aquæ ſtipticus Verum poſt abſtractum ex vitriolo ſpiritum, ſapor ſtipticus una non abſtrahitur, quin intenſiorem præbet colcothar; quare ſapor aquæ mineralis

(h) *Preface a l'Hiſtoire des Plantes.*

ſtipticus poſt evaporationem non magis probat præſentiam mineralis integri, quam idem Colcotharis ſeu capitis mortui vitrioli ſapor arguit præſentiam integræ ſubſtantiæ vitrioli.

Secundo, Experimento 16. conſtat, poſt reſidentiam omnem fixam ad fundum aquæ præcipitatam, aquas haud ſecus quam ab initio a gallis alterari; Quare tenuius quiddam eſt in aquis his, quod colorem a gallis ſuſcipit, & per conſequens, ab exper: 12. & jam dictis, nomen & naturam iiſdem tribuit.

Tertio, Veriſimile eſt, fontes medicatas pluries impraegnari ſolo halitu minerali, quod aliquoties examine habito nulla in earum confinio reperiantur mineralis cujuſpiam veſtigia. Halitus vero hujuſmodi, eâdem, atque fortiori, quàm quâ fontes ſubeunt, ratione, actione ignis denuo avolabunt.

Quarto, Huc confert, Ægrum quendam ad aquas noſtras Aberbrothicenſes, conſilio meo remiſſum. Hic per aliquot dies præ debilitate vix vectionem in equo, ex diverſorio, ad fontem quotidie ferre compos erat. Poſtquam vero cyathum aquæ ter aut quater depleſſet, jam alacer & vegetior per campos incedebat & obambulabat. Eſt igitur in aquis medicatis ſpiritus mineralis, mobilis nimis & fugax, ut ignem ferre poſſit. Hunc ea præſertim methodo obtinendum & examinandum cenſe-

rem

rem, qualem propoſuit (*i*) Academia ſcientiarum Regia Pariſienſis, in plantarum deſtillatione, Miſcelis vero Acidis & Alkalinis nihil fido. Patet enim experimentis 17, 18, 19, & 20. nullo neque acido neque alkali impraegnari. Acidulæ quidem nomen habent: verum ipſum Martis vitriolum, quod obtinent præcipuum, nulla rubedine, quin colore viridiuſculo, ſyrupum tingit violaceum. Præter ea Acidum vitrioli tantum abeſt, ut ſua Aciditate, colorem aquæ gallis admixtis nigredine inficiat, ut omnino colorem dictum deſtruat (exper: 18.) Equidem Acida per ſe affuſa colorem aquarum nativum parum alterant, Alkalia alterant: Verum poſt affuſa Aquis Alkalia, pul: gallarum admixtus ſemper magis aut minus nigreſcere facit mixturam, contra omnino de acidis (exper: 19. & 20.) verum de voculis hiſce in introductione jam dixi. Deinceps duo reſtant inquirenda. Primo qua ratione inveſtigari queant diverſarum aquarum mineralium diverſi virium gradus; quippe ex dictis, haud aliâ ratione videntur differre. Secundo, Ideam proponere originis harum aquarum. Primo

Cum diſcrimen perſpicerem coloris a gallis admixtis, aquæ Aberbrothicenſis, & alterius a Petri promontorio denominatæ (exper: 13,

 14.)

(i) Dodart. *Memoires pour inſervir a l'Hiſtoire de Plantes.*

14.) ſedulo mecum dubitabam, an phaſes aquarum diverſæ, a diverſo minerali, an ab ejuſdem mineralis diverſo gradu ſuccederent. Exper: 15. rem indubiam poſuit; triplâ enim circiter aquæ communis proportione affusâ, idem fiebat utriuſque color, unde indubie patebat, non diverſa aquarum mineralia, ſed ejuſdem mineralis diverſos gradus utraſque fœcundare. Idem vero de univerſis, quod de his ſtatuendum (exper: 1.) graduum excepto diſcrimine. En magni momenti rationem plane ſimplicem. Infinitæ inter Medicos Gallos imprimis exiſtunt lites, de virtutibus diverſarum aquarum ſibi mutuo collatis; dum peculiaris aquæ, unus pro genio & experimento ſuo, Patronum ſe offert; reliquas omnino hujus ratione nihili habet, temnit & damnat. Alter contraria prorſus recriminat. Hinc mutua ex convitiis ſcandala, nullo rei Medicæ commodo. Aſt facili negotio rem percepiſſent. Aquæ quædam, ut jam conſtat, triplâ ſaltem proportione mineralis, aliis ejuſdem Regionis fortiores ſunt: Idem igitur numero Æger, vel duo ejuſdem ætatis, habitus & morbi, eandem harumce aquarum quantitatem, eadem methodo & regimine ſi bibant; nil mirum ſane, ſi uni in ſanitatem conferat, alteri noceat. Pro diverſa igitur mineralis proportione ad aquam, majori vel minori copiâ, pro morbi ratione omnis aqua mine-

mineralis haurienda.

Experimentum jam dictum, caſu mihi ſequens (16) detexit, ex quo percipiebam faciliorem methodum, obtinendi ea, quæ craſſiora in Aquis mineralibus exiſtunt, quam quæ fit evaporatione aquæ, unde vero ſimile vel alterantur vel minuantur, vel utrumque. Neque obſtant galli admixti, quorum nempe quantitas nota a reſiduo ſubſtrahi poterit, & quas neutiquam alterant, cum nullo minerali gaudeant. Secundo: De fontium Medicatarum origine.

Vulgo habetur, aquas Medicatas mineras ſolidas proluere: Aſt id minus veriſimile videtur, cum aqua communis, tincturam læviſſimam ſuſcipiat a corpore minerali, aquarum mineralium virtuti & effectibus parum accomodam. Res igitur altius eſt repetenda.

Experimentis indubiis detexit ingenioſiſſ: (*k*) Boyle, Gemmas & Adamantes corpora omnium ſolidiſſima, a primæva origine guttas exiſtere limpidas, deinceps glutinoſas, nec niſi temporis ſucceſſu, ultimam duritiei induere compagem. (*l*) Idem haud lævi conjectura de lapidum vulgarium propoſuit formatione. Et Egomet lapidem unum & alterum obtineo ad *Eska Scotiæ* noſtræ fluminis oſtium repertos, quibus multiplicis gene-

(k) *De Origine Gemmarum.*

(l) *Hiſt. Fluiditatis & firmitatis* part. 2.

generis concharum veſtigia, inhærent diſtincte impreſſa, haud dubio indicio priſtinæ mollitiei. Pariter dudum mihi obtulit Joh: Drummond Medicus Edimburgenſis Vir candidus & ingenioſus, lapides quoſdam ſectiles, longitudinis fere ſeſquipedalis, dimidiæ circiter latitudinis, craſſitiei dipollicaris plus minus. Fiſſuris aliquatenus hiant, quibus intrusâ cultri apice, levi opera & de motu inteſtino particularum in quieſcentibus ſolidis. In laminas diffinduntur, unde ejuſmodi lapis Φόλις nuncupatur. In medio exiſtunt *Piſciculi limaci* terreſtri haud abſimiles. Reperiuntur apud *Hockeny*, vicum ad fretum Edimburgenſe ſitum, intra æſtus marini terminos. Confeſtim molliuſculi ſunt, quodammodo flexiles & impreſſioni cedunt; aliquamdiu Aëri expoſiti duritiem induunt lapideam; ut mihi videatur, ex piſciculis hujuſmodi halitum profluere petrificum, unde materies in confinio glutinoſa, duritiem ſenſim acquirit in animalculi tutamen ab Maris æſtuantis injuriis; quemadmodum haud levi animi oblectamento, mihi contigit obſervare Aſtacum, ex conchæ ſpiralis majuſculæ (apud noſtrates a *Buckie*) piſce formatum. Naturam quippe ejuſmodi domicilium, in teneri animalis præſidium molitam eſſe arbitror, eâdem ratione, qua Bombyces, Papiliones, reliquaſque hujuſmodi inſectas volatiles, cute munivit cruſtaceâ,

ceâ, ad Aëris inclementiam averuncandam, quoad firmiore partium textura compactæ, illæſæ ferant extus ingruentia. Hæc quidem obiter: Verum ex dictis clarius eluceſcunt, quæ dilucida encheireſi (*m*) Tabernæmontanus, & poſt illum (*n*) Petrus Givræus in mineralibus detexere; eorum nempe primordia in Terræ profundo exiſtentia, ſuccum eſſe glutinoſum Terebinthinæ ſeu gummi plantarum haud abſimilem.

Embryon hoc metallicum fontium medicatarum ſcaturigines, e gremio Terræ ſuperficiem verſus proſilientes, proluunt, & calido ſubterraneo fœtæ, ejuſdem ideam, ſeu totius ſubſtantiæ compagem primariam, ſecum ferunt: Quippe ob compagem mineralis laxiorem, intimius ad ſal minerale penetrantes, ejus ope reliquam ſolvunt ſubſtantiam, & in poros ſuos intimius recipiunt, eâdemque operâ compoſitionem præbent, infinito modo magis exquiſitam, quam quodpiam Alchymiſtarum *Alkaheſt*, ex minerali ſolido extrahere potis eſt.

(*o*) Succus hic cujuſpiam mineræ particularis reliquis ſecluſis, minime habendus eſt, quem-

(m) Vide Horſtium de *Thermarum Natura.*

(n) *Eaux mineralis de Provence.*

(o) Mineralia e Terræ viſceribus detracta, & quæ integrum jam formata ſunt, aut nunquam aut raro heterogenei mineralis mixturæ, immunia eſſe, vide Boyle *de Infido experimentorum ſucceſſu* Tract. 1.

quemadmodum neque ſuccus plantarum nutritius, unum gummi genus reliquis exceptis. Unus quippe & idem Terræ ſuccus, pro diverſo Climate diverſos edit fructus, & plantarum terebinthinas. Idem etiam ſuccus mineralis in diverſis Terræ Regionibus, metalla profert prorſum diverſa; a diverſa nempe concoctione, diverſam partium texturam (modificationem nuncupant) & unus ſuſcipit & alter: Neque mage difficile, illius quam hujus rationem reddere: neque revera ad Medicinam hæc ſpectant. Confirmantur jam dicta experimento 11. Patet enim, ſolum ferrum ſolutum tincturam cum gallis ſuſcipere nigram: ſed vitriolum album ex Minera ſeu ſcoriis argenti confectum ſolut: cum gallis nigreſcit; Indicio ut mihi videtur manifeſto, in venis argenteis, ſeu eorundem ſucco primario, & primordia quædam ferri exiſtere. Aliàs quamobrem vitriolum veneris ſeu cupri, non potius exhiberet tincturam nigram, quam quod album eſt, Aſt quidem, ex omnibus jam dictis patet, Ferrum præ reliquis eminere, i. e. ſuccum mineralem, quem alluunt fontes medicatæ ad ferri compagem magis diſpoſitum, & notum eſt, hujuſce metalli Regiones boreales præ cæteris feraces eſſe.

DISSER-

DISSERTATIO TERTIA.

De Marte, ſeu Ferro.

UNiverſi Medici, Chymici, Pharmaceutici, de ferro & ejus præparatis aiunt, neque ulterius fere aiunt, quod ligant & ſolvunt, ſeu obſtruunt & deobſtruunt. Sententiam plane Authoribus indignam! Ni ſaltem explicuiſſent, quomodo, aut quod minimum eſt, quando hoc aut illud præſtent. Quidam fateor, qui ſibi aut aliis ſatisfieri magis ſatagunt, exteriora ferri adſtringere, interiora reſolvere perhibent. Hinc operoſe nimis encheireſes, ad mutuum inter extus & intra commercium ſolvendum; & infinita tandem in igne tortura, ad ſalis mineralis exaltationem; ſeu ut alii malunt ad noxium neſcio quod ſulphur abigendum; hoc ſecum rati, Vulcanum ferociſſimum licet, eâ tamen eſſe prudentiâ, ut benignitate, ut inter noxium & utile diſcriminet; & noxio profligato, quod utile eſt, operariis ſuis devotionis ergo, denuo offerat. Pudet ſane, viros Mundi Didaſcalos, in re omnino ſeria ludere, Cœcorum inſtar, quæ neſciunt peragere, & Andabatarum more ratiociniis pugnare, quam Arti importunæ nuncium remittere, atque nudam amplecti

natu-

naturam. (*p*) Hartmannus Chymiæ Artis expertiſſimus, in Martis præparatis raram admiſit chymiam, nec niſi ſimpliciſſimam, naturæ ſimplicitati mage accommodam. (*q*) Sydenhamius etiam, laborioſâ omni encheireſi chymicâ poſthabitâ, ad Galeni methodum vetuſtam ut tutiorem ſe contulit, qui feliciter Artis ignarus, mineram ipſam a natura præbitam, ſine ambage, idque fauſto ſatis cum ſucceſſu, præbuit. Chalybem ex ferro conficere bonam, unum omnino eſt; Medicamentum bonum, plane alterum. Ex mero Ingenii luſu, nomina diverſa & contraria eidem rei imponimus, & credula adeo; jam exiſtit Medicina, ut in ferro exhibendo vix amplius egeat Medicus, quam duabus voculis (*Croc. Mart. Aper. & Croc. Martis, adſtring.*) ut pro lubito ſuo ægrorum corpora aperiat aut adſtringat. Sal Martis inter famoſiſſima exiſtit aperientia; & tamen mihi notum, diarhæas propemodum deſperatas a remedio hocce curatas. Idem omnino dicendum de vitriolo Martis officinali. Et quid mirum? Hoc ſane & illud, nil aliud ſunt quam vitriolum operoſiore Arte confectum. Ego deinceps conabor demonſtrare, Martem & ipſius præparata, ſive adſtringant ſive reſolvant, (utrum-

(p) *Praxis Chymiatrica de melancholia, hypochondriaca.*

(q) *De Affectione Hyſterica.*

trumque vero peragunt in diverſis ægris, & ægrorum circumſtantiis) id immediata adſtrictione perficere.

Propositio Prima.

Sanguis aqueo-viſcidus, plurimo phlegmate, ſeu lympha craſſa, pauco ſpiritu ſeu principio activo fœtus, aptus eſt hærere in vaſis minimis, unde fiunt obſtructiones cachecticæ vulgo dictæ. Sanguis etiam craſſus & compactus, paucâ lympha fœtus, a Medicis aduſtus & melancholicus nuncupatus, facilis hæret in vaſis minimis, & obſtructiones parit ſchirroſas & ſcorbuticas. Verum, ſi ſanguis aqueo tenuis ſit, ſeu cujus ſerum, nimiâ eſt proportione ad partem fibroſam, facile elabitur per vaſorum emiſſaria, unde fiunt evacuationes præternaturales.

EX dictis in diſſertatione prima, conſtat ſubſiſtere omnium fluida univerſi corporis, ni motu canalium contractili, ſeu eorundem renixu, in motu progreſſivo antrorſum propellantur. Detur ſanguis, quemadmodum in prima propoſitionis parte proponitur:

nitur: Vaſorum villi, fluido viſcido imbuti, ſeu quorum interſtitia ejuſmodi lympha replentur, ad motum ſegniores fiunt, & contractionem oſcillatoriam debilius peragunt. Quare ſanguis ſuapte languidus & effœtus, ſubſiſtet omnino plus minus in convolutione glanduloſa vaſorum minimorum; eò quod vires cordis propultrices, naturâ ſuperans; canalium etiam motus contractilis minor eſt, quam qui ſanguinis hebetis reſiſtentiam ſuperare poteſt. Fiunt igitur obſtructiones, quales in hydrope, anaſarca, leucophlegmatia, coloribus mulierum pallidis, & cæteris hujuſmodi morbis cachecticis, unde patet prima pars propoſitionis.

Pariter vaſorum villi ſeri inopiâ rigidi fiunt, unde ad motum oſcillatorium reciprocandum redduntur inepti; quemadmodum corium vel ad ignem, vel ſole aduſtum, neque facile tenſilis eſt, & ſi diſtendatur, in ſtatum priſtinum minus renititur; unde fortiori ratione ſubſiſtent ejuſmodi fluida in arctioribus canalium anguſtiis. Et ſi ſupponatur, canalium latera reciprocâ actione, vegeto modo fluida vibrare contenta, tantum abeſt, ut antrorſum eadem trudant, ſeu compagem craſſam loco dimoveant & diſſolvant, ut omnino in contactus mutuos ob negatum fluidum contactibus dimovendis requiſitum, fortius eandem impingant, i. e. obſtructionem

nem reddunt magis obſtinatam. Fiunt igitur, ſanguine hujuſmodi exiſtente, obſtructiones obſtinatiores ſchirroſæ & ſcorbuticæ; inter quas ſubinde numeranda hydrops aſcites, hærente utique in vaſis minimis craſſiore ſanguinis compage, quod ſupereſt ſeri, per vaſorum elutriatur emiſſaria: & patet Secunda.

Demum canalium villi fluido ſeroſo tenui imbuti, flacceſcunt & enervantur, motuſque ſuos contractiles vel non peragunt, vel ſegnius peragunt, quam requiritur ad circuitum molis ſanguineæ, ex arteriis in venas promovendum. Attamen ſanguis ejuſmodi non ſubſiſtit in vaſis minimis, quin præ debili compage, ſoluto partium nexu, quod tenuius eſt ſeu ſeroſum nimium fluorem nactum, per vaſorum elabitur emiſſaria, vel intra corpus, ut in hydrope aſcite nonnunquam; vel extra corpus, ut in diarhæa, diabete, ſudoribus colliquativis, albis uteri purgamentis, fluore menſium immodico, & cæteris hujuſmodi a tono partium enervato, & ſanguine parum conſiſtente. Patet ergo tota propoſitio.

PROPOSITIO SECUNDA.

Omnia Medicamenta ex ferro parata ſerum diſſipant, & villos adſtringunt.

FErrum, & Medicamenta quælibet ex Marte ſeu Ferro parata, manifeſto ſapore guſtui ſtiptica ſunt, & ptyaliſmum movent: Verum præter ſtiptica, non alia quævis id præſtant, acribus exceptis, quod experientiâ conſtat. Sed nullo acredinis indicio notantur Medicamenta, cujuſlibet præparationis, chalybeata, quod ſenſui etiam notum. Quo autem modo, & quibus motibus ultimis, a ſapore ſtiptico fiat ptyaliſmus, huc non pertinet; cum de re conſtet. Indicaſſe ſufficiat, id fieri duplici ratione, alterutrâ vel utraque; nempe canalium villos concuſſione approximando, unde quæ in interſtitiis hærent fluida, locum cedere coguntur. Secundo quemadmodum explicuit (r) Borellus lactis coagulationem, ſcil. diffringendo lymphæ veſiculas fibroſas, unde ſerum fluidius intus contentum elabitur: utraque autem ratione patet propoſitum. Dicet quidam, ex dictis fore evacuationem ſeri diſſipati: verum ex operationibus Mercurii patebit, quælibet Mercurii præparata ſanguinem

(r) *De motu animal. Part. 2. Prop. 130.*

nem diſſolvere, & quod ex ſoluto ſanguine fiat evacuatio. Sed quædam Mercurii præparata, ut Æthiops mineralis, panacea etiam juſto modo parata, non ullo modo ſenſibili evacuant; nempe ab hujuſmodi gradatim fit ſolutio, unde modo in ſenſibili per quælibet corporis emunctoria ſoluta evacuantur. Idem evacuationis reſpectu de Marte dicendum, ni nimia quantitate, nimium ſerum confeſtim elutriet, & eâdem operâ villos nimium conſtringendo, hydropem progignet aſcitem, ut ſubinde fit. Quare

Medicamenta ex ferro parata in ſanguinem recepta duplicem nanciſcuntur operationem; in ſanguinem ipſum & in canalium villos. In ſanguinem, compingendo fibroſam ſuam compagem, & ſubinde diffringendo veſiculas lymphaticas, elutriat quidquid inibi exiſtit ſeri fluidioris. In canalium villos, eoſdem arctius ſibi invicem impingendo, quidquid fluidi & mobilis in interſtitiis hæret, loco pellunt. Unde utroque nomine Medicamenta chalybeata, humidum quodvis in canalibus exiſtens disſipare apta ſunt, ſanguinis compagem firmiorem reddunt, & magis cohærentem tonum partium univerſum roborant, ſpiritus nimio ſero obrutos, humidum disſipando ſuperfluum, exigunt. Verbo; in univerſum conducunt: ubi indicia medica ad jam dicta referuntur. Sit igitur.

PROPOSITIONIS TERTIÆ, Pars Prima.

Diſcrimen ponere, in quibus obſtructionum generibus, Medicamenta chalybeata conveniant, & in quibus non conveniant.

CONſtat ex dictis, ſanguinem, aqueo viſcidum, plurimâ lymphâ craſsâ, pauco ſpiritu ſeu principio activo fœtum; ſeu quod idem eſt, licet ſpiritu minus deſtituatur, tamen idem phlegmate immerſus opprimitur, ſanguinem hujuſmodi in vaſis minimis hærentem, parere hydropem Anaſarcam, leucophlegmatiam, colores mulierum pallidos, & inde menſium obſtructiones. In hujuſmodi corporis ſtatu chalybeata exhibita, vaſorum minimorum villos concutiendo, eorum latera ad ſeinvicem impingunt, unde liquidum villorum interſtitia occupans, cum fluorem adhuc obtineat, ad contactus partium mutandos requiſitum, omnino diſſolvitur & loco movetur. Pariter ejuſmodi Medicamenta diſſipando ſuperfluum ſanguinis humidum, firmiorem ei reddunt compagem, atque principia erigant activa, ſic omnino patet fluidorum corporis motum inde reddi vegetiorem, atque faciliùs motui obſequi canalium contractili: Quare a chalybeatis exhibitis, utraque ratione reſerantur vaſa minima

minima in morbis jam dictis. Verum,

Sanguis craſſius & compactus pauca lympha imbutus, & qui a Medicis aduſtus dicitur, obſtructiones gignit & ſcorbuticas. In hujuſmodi morbi ſtatu, chalybs & ex eo parata villos ſeri requiſiti defectu, hactenus rigidos, quod ejuſdem ſupereſt, disſipando, rigidiores reddunt; unde motui oſcillatorio omnino inhabiles fiunt. Quin & ſanguis hujuſmodi, in vaſis minimis hærens, cum liquido privetur ad contactus ſuos mutandos requiſito, in contactibus eo obſtinatius perſeverat, quo magis liquidum disſipatur; Et ſi jam detur, canalium villos oſcillationem ſuam vegetius perficere, eò obſtinatiorem reddunt obſtructionem, quo vires canalium contractiles fortius intenduntur. Quare tantum abeſt, ut chalybeata quidpiam præſtent boni, ut omnino e contra nihil prorſus magis exiſtat nocuum.

Hinc patet, quam cœco greſſu incedant Medici, dum ferrum omnium obſtructionum, indiſcriminatim, proponunt antidotum; neque cibum famis magís, quam martem obſtructionum volunt haberi Medicinam. Unus duntaxat eſt aut alter, qui diſcriminis meminit, idque incurioſius nimis. Nihil tamen majoris momenti in Medicina agitatur: Quippe neque ullum in morbis chronicis Medicamentum magis univerſale. Jam autem

datere arbitror, haud minus damni ex abuſu, quam ex uſu commodi attendum.

PROPOSITIONIS TERTIÆ, Pars Secunda.

Diſcrimen ponere, in quibus evacuationum generibus, Medicamenta chalybeata conveniant, & in quibus non conveniant.

EX iiſdem dictis conſtat, ſanguinem aqueo tenuem, nimio ſero gravidum, & debili parte fibroſa, effluere aptum per vaſorum emiſſaria, & evacuationes per uterum, per anum, per corporis etiam habitum ſeu cutis glandulas, producere. Chalybeata, ſerum tam in villorum interſtitiis, quam in ipſis canalibus ſuperfluum diſſipando, vaſorum roborant tonum, quorum redintegrato oſcillatorio motu, ſanguinem intimius commiſcent, nexum ſeri cum fibris reſtituunt, univerſam denique compagem reddunt vegetiorem. Unde circuitus ſanguinis ex Arteriis in Venas expeditior, quam ut ſerum reliquæ compagi unitum, per vaſorum elabi queat emiſſaria. Atque eatenus evacuationibus conveniunt Medicamenta chalybeata. Verum,

☞ Si tanta ſit ſanguinis colliquatio, ut hæcticæ fiant evacuationes, quæ una & morbi ſympto-

ſymptoma, & ſymptomatis exiſtunt Criſis, Medicamenta chalybeata, cautisſime, neque ultra primos hecticæ gradus ſunt exhibenda. Vel enim nimis disſipabunt ſerum vitæ neceſſarium, & corpus ſuapte aridum, reddunt aridius; vel tonum villorum plus quam ſatis indurando, ſerum per corporis emunctoria evacuandum intus detinebunt, ſeu in partes corporis principes & debiliores rejicient: Unde cum omnis, ut dictum, evacuatio hectica, quantopere licet ægrum debilitet, eundem tamem a præſenti ſymptomate ſublevat, quidquid aptum eſt evacuationem omnino ſiſtere, ægrum præcipitabit in ſtatum priſtino pejorem. Sed,

A ſanguine craſſo & compacto in viſcerum canalibus minimis hærente, quidquid ſeri fluidius eſt ſubinde elutriatur, & vaſa lymphatica vel diſtringendo, in abdominis cavitatem evacuatur, & hydropem facit aſcitem, ut a (*s*) Lowero explicatum; vel vaſa eadem in molem ingentem diſtendendo, idem efficit genus morbi, ut experimentis probavit (*t*) Nukkius in hydrope uteri præſertim. Licet ex dictis conſtet, hydropem ſaltem incipientem, chalybeatis haud improprie ſubinde curandam; Ejuſmodi tamen in ſtatu ſanguinis dicto nocerent ob rationes traditas:

(s) *De Corde.*
(t) *Adenographia.*

Inde enim fluidum obſtruens compactius redditum, & villi rigidiores facti, obſtructionem redderent obſtinatiorem, & morbum angerent.

De ferro ſeorſim jam dixi, neque forſan deerunt, qui dicta flocci facient, quòd dictione formali non explicuerim, quid ſit ferrum, & quæ compages ejus intima. Quibus reſpondeo; effectus demonſtravi; Intimam naturam, quemadmodum neque alterius rei cujuſpiam, non novi. Et quid quæſo Arte chymicâ & omnifariâ ignis torturâ, de ferro hactenus innotuit? Sulphur ferri ingens prædicant, neutiquam demonſtrant. Nihil magis decantatum, quam Sal Martis: Aſt amabò rem ipſam! Ferrum utique in ſp. acido diſſolvunt, ex quo merum conficiunt vitriolum, quod Sal Martis inſigniunt, tanquam ſi nomina rebus naturam inderent: Neque enim Sal illud ferri eſt, ſed Acidum menſtrui in poros ferri receptum, ſeu ferrum Acido dicto acutum. Idem dicendum de ferro cum ſulphure ignitione parato, licet minime tanti habeatur, quippe neque tam bello nomine gaudet. Analoga tamen utriuſque præparatio, eoſdem utriuſque vires & effectus demonſtrat. De ferro igitur indicaſſe ſufficiat, idem de ſoliditate, ponderosâ & lævigatâ, fortius, diutius, & conſtantius in ſanguinem reliquaque corporis fluida operari, quam alia

quæ-

quævis, plurima ſaltem Medicamenta vegetabilia, quorum vires ſi minutim exhibeantur, in primis viis enervantur. Et ſi confertim exhibeas, jam ipſa primas vias enervabunt, & oppriment. Neque tamen prorſus negarem, quidpiam aliud in ferro exiſtere, unde Medicinæ magis, quam reliqua ſtipticorum claſſis, congruit. Quippe & procul omni dubio eſt, ſingula Medicamenta ejuſdem licet indolis in proprietatibus notis, quidpiam minime notum continere, unde indiciis Medicis magis accommoda ſunt; quam alia quæpiam iiſdem inſignita proprietatibus notis. Plurima exiſtunt amaro ſtiptica; non tamen hactenus inventum eſt febrium intermittentium antidotum, cortici Kinæ Kinæ æquiparabile. Hoc autem quodcunque eſt in rebus ſpecificum, proprietatibus rerum notis neutiquam contrariatur, quin in iiſdem omnino fundari, ſenſu patet Hominum communi.

De Aquis mineralibus ſpeciatim.

Quæ de ferro dicebam, eadem de fontibus medicatis dicenda, ferro imprægnatis, ſeu quod idem eſt, ſubſtantiâ minerali liquidâ, quæ ulteriore coctione in ferrum elaboratur. Eatenus tamen differunt, quod operatione medicâ ferrum excellunt, atque uſus

ſunt

ſunt magis univerſi.

Excellentiores arguunt quæ ſuperius expoſui, de earundem origine, nempe quod ſcaturigines aquarum mineralium, ex profundo Terræ ſuperficiem verſus proſilientes, liquidum alluant minerale, ejuſdemque ideam, ſeu compagem totius ſubſtantiæ primariam, in gremio ſuo auferant, intimiore ſolutione, quam quæ a menſtruo chymico, ex ſubſtantia metallica compacta, obtineri poſſet. Duplex inde Medicinæ bonum. Primo intimiore in fluido aqueo ſolutione, in ultimos corporis receſſus, quà fertur ipſa aqua, pervadit, & quidquid obſtat, facilius loco pellit: Quidquid interim loco movet, aqua ſecum aufert, & per corporis abluit emunctoria. Secundo notum eſt, operationes ferri medicas, intenſiores fieri; volatili quopiam adjecto, quemadmodum fit in primo Ente veneris, floribus ſalis ammoniaci martialibus, famoſiſſimis deobſtruentibus. Enimvero corpus minerale ſale minerali acutum, celerius, fortius & intimius, corporis animalis penetrat receſſus, & diutius cum ſanguine circuit, quam dum volatili privatum, propriis duntaxat innititur viribus. Quod Ars in his imitatur, id natura per eminentiam in aquis mineralibus præſtitit, quarum volatilitas quo magis blanda, eo naturæ animali facilior, neque minus efficax, quod morbi chronici

non

non uno ictu, ſed ſenſim curam ſuſcipiant: adde, quod intimiore cum compage fixa unione, difficilius a mutuo ſegregantur conſortio. Sicubi igitur natura Artem ſuperemineat, fontes medicatæ encheireſin quamvis chymicam in ferro inſtitutam excellunt.

Neque minus ex dictis conſtat, Aquas minerales uſum obtinere magis univerſalem, quam ferrum, & quæ ex ferro parantur; hujuſmodi enim, quod omnino ſtiptica ſunt, haud minus quibuſdam conferunt obſtructionibus, quam aliis nocua exiſtunt: Aſt aquæ minerales humido ſuo, obſtructiones duriores & compactiores proluunt, & humectant; ſpirituque volatili in humido aqueo vecto, intimos penetrant obſtructionum receſſus & reſerant. Hiſce motus, ægrum ſuperius memoratum, ex phthiſi pulmonari ſumme ſcorbuticum, & macie fere aridum, ad aquas miſi Aberbrothicenſes, quæ ſi curam omnimodam non perfecere; ægrum tamen deſperabundum meliore ſpe fultum, domum remiſerunt. De aquis mineralibus id igitur ſtatuendum, eaſdem, dum viſcerum tonum roborant, immundities pariter in viſceribus hærentes, detergere & abluere: quod quomodo, & quibus præſtent viis, deinceps inquirendum.

Aquas communes per anum purgare plures experti ſunt, ſi largiori eas hauriant quantitate,

tate; & notum eſt, aquam ex amne Sequanâ, largius epotam, id vulgo præſtare. Nempe vaſa Renum emulgentia, ob amplitudinem ſui diametri præterlapſæ, in fluento ſanguineo eatenus perſiſtunt, donec arctioribus cancellis, vaſorum meſenterii minimorum incluſæ, validiore eorundem renixu & contractione, per emiſſaria glanduloſa in inteſtina, & ex inteſtinis per anum rejiciantur.

Minera ferri, quâ imprægnantur aquæ minerales, tonum villorum ventriculi, & inteſtinorum roborando, in cauſa eſt, quod largiorem quantitatem innoxiè hauriant Homines, hujuſmodi fontium, quam quæ aquæ communis ſimul haurire innoxiè liceat. A communi nempe largius epotâ, villi enervantur, & nimio humido immerſi, flacceſcunt, & colicos pariunt dolores. Ab aquâ igitur minerali largius hauſtâ, exiſtit in gurgite ſanguineo quantitas ſeri, compagem ſanguinis fibroſam nimiâ proportione excedens. Diſtenta inde canalium latera, verſus ſeinvicem denuo nituntur, (ut in prima diſſertatione explicatum) & quidquid ſeri ſuperfluum eſt, quà datâ portâ per vaſorum rejicit emiſſaria, ſeu per corporis protrudit emunctoria.

Hinc conſtat, aquas minerales neque purgare, neque diureſin movere, quemadmodum quæ ſanguinis unionem, ſeu nexum inter

inter limphamet fibras & ſolvendo operantur, quod præſtant Medicamenta evacuantia proprie dicta. Inſigne inde fontium medicatarum commodum, præ aliis medicamentis evacuatione operantibus, quippe quæ ſanguinem ſolvendo, ut præſens ſubinde afferunt levamen, tamen ſæpius corporis habitum debiliorem reddunt. Verum Aquæ minerales, ut liquet ex dictis, dum obſtructiones reſolvunt, tonum villorum & ſanguinis roborant, eundem commixtione intimâ, a noxiis abluunt inibi hærentibus, denique immunditiem quamvis, extra corpus ſecum auferunt.

Propositio Quarta.

An Aquæ minerales propria ſint Hecticis & Phthiſicis medicina?

NOtum eſt, acceſſum, ſeu paroxyſmum febris hecticæ, a cibo comeſto præcipue fieri, chylo cum ſanguine commixto: vel ſi ſit febris putrida hectica, in fine Phthiſios confirmatæ, ab evomitione materiæ purulentæ, ex pulmone, cæteriſve viſceribus in vaſa ſanguinea. In primo caſu, vulgo dicunt, chylum ſanguini hactenus conflagranti, novum addere fomitem: Verum iſtud metaphoricum duntaxat exiſtit dicendi genus. Revera, Textura ſanguinis fibroſa

ſeu

ſeu balſamica compages fracta, quemadmodum fit in omni ſanguinis colliquatione, chylum adhuc acrem & rudem involvere, & in compagem ſuam unione exquiſitâ recipere non poteſt, ita ut innocue tranſeat poros vaſorum minimos, cordis præcipue villos, & nervorum principia, quin & hæc & illos rigidâ ſuâ acredine vellicet, unde ſtimulo irritati, motus ſuos plus minus ingeminant, pro vi ſtimuli, & febrem faciunt, quæ eatenus durat, donec quidquid chyli, commixtionem cum ſanguine renuit, per emunctoria præcipue corporis habitum ſudore rejiciatur. Idem de febris putridæ hecticæ paroxyſmo dicendum, hoc tamen diſcrimine, quod ſanguis jam majorem ſubeat colliquationem, & pus obſtinatius, imo omnino commixtionem cum ſanguine renuit. Verum ſubinde ſanguinis compages omnino ſana eſt, & integra; ob debilem tamen viſcerum tonum, ſeu obſtructas ventriculi & meſenterii glandulas, per quas chylo transeundum eſt, & in quibus novos ſuſcipere deſtinatur elaborationis gradus, juſtam non ſuſcipit concoctionem, neque unionem init cum ſanguine in ſe licet ſano, qualis ad functiones animales innocue peragendas requiritur. Unde idem omnino & inde incommodum; & ſive ſit vitium ſanguinis chylo innocuo, ſive chyli ſanguine integro, commixtione utriuſque debitâ

negatâ

negatâ undique fit febris.

In caſu jam proxime dicto, aquas minerales propriam eſſe Medicinam, ex omnibus patet prædictis, & ſublatâ causâ effectus tollitur, unde contra vulgi ſenſum mulierculam juniorem pallidam, palpitatione cordis, appetitu proſtrato, febre a cibo comeſto hecticâ, corporis atrophiâ &c. hujuſmodi laborantem ad aquas noſtras minerales remiſi, atque ſanam domi reducem obtinui.

In primo caſu propoſito, ſi morbus adhuc hæreat inter primos hecticæ gradus, & ex ſymptomatis pateat, ſanguinem, haud multum hactenus colliquatum, tuto cum ſucceſſu exhiberi poterunt Aquæ minerales, quibus utique pulmones ſeu cætera viſcera ab immunditie eluuntur, eorum tonus enervatus reſtituitur, & contra influxus quoſvis præternaturales roborantur, ſanguinis compages firmior & magis redditur cohærens. Demum vaſorum villi vegetiores facti, univerſi ſanguinis circuitum ex Arteriis in Venas, nullâ præternaturali evacuatione per vaſorum emiſſaria permiſsâ, promovent. Verum ſi ulteriorem morbus jam adeptus ſit gradum, & hectica in veram phthiſin hactenus terminarit, præcipue ſi febris adſit putrida, nullus amplius aquis mineralibus locus ob rationes ſuperius traditas. Idque noſtratium quædam ſuo damno experta eſt, quæ ad aquas Aber-

brothicenſes recens detectas, tanquam panaceam cœlitus datam devecta, poſt aliqualem earum uſum deterior facta, vix domum revecta, confeſtim fatum obiit. Unde & vulgi extitit opinio, aquas has morbis hecticis ſine diſcrimine pernicioſas eſſe.

Ex dictis conſtat, indigeſtionem in primis viis ſanguine integro, & indigeſtionem ſanguine, innocuis primis viis, eoſdem in œconomia animali producere effectus. Unde ratio eluceſcit, quamobrem urinæ Hecticorum, Cachecticorum, Eorum, qui frigore ſuſcepto, ut qui febribus intermittentibus laborant, eandem vel ſimilem frigori aliquamdiu expoſitæ monſtrant phaſin. Scil. Chylus ſanguinis compagi parum combinatus, per glandulas renales cum ſero rejicitur; & ejuſmodi urina eatenus diaphana & limpida perſiſtit, quamdiu calida remanet: A calore nempe particulæ chyli craſſiores a ſeinvicem ſegregatæ, in motu detinentur, & in fluido natant imperceptæ; frigido vero acceſſu, pori, ſeu veſiculæ ſeroſæ conſtrictiores factæ, eaſdem fundum verſus, pro latiore vel anguſtiore ſuperficie, plus minus deturbant. Unde ſedimentum conſtituunt vel plane album, vel pro intenſiore febris gradu, ſubflavum, aut lateritium, quoad calori denuo expoſitæ, limpiditatem denuo recuperent priſtinam. De Hecticis & Cachecticis res hactenus patet.

tet. (v) Idem de febribus intermittentibus ex earundem Theoria pateſcit, nempe chylum cum ſanguine parum combinatum, in vaſis minimis hærentem, paroxyſmos producere febrium intermittentium. In frigore ſuſcepto ſive adſit febris ſive non, notum eſt, appetitum maximâ parte proſterni, ob villos ventriculi ſero nimio immerſos & flaccidos, unde idem quod in Cachecticis fit. Præterea, ob poros cutis a frigore ſuſcepto occluſos, magna pars ſeri, quod diaphoreſi per eoſdem evacuatur, cum immunditie ſuâ ſanguini heterogeneâ, in glandulas renum rejicitur, & earundem opere e corpore eliminatur. Unde ſæpius vidi, quo magis ſudant hectici, eò urinam mingunt magis diaphanam.

Mulierculæ, Medicorum etiam vulgus, de ſtomacho undique ſoliciti, in phthiſi magis ſolicitos ſe monſtrant, id ſecum reputantes, quidquid morbo deperditur, a ſtomacho vegeto redintegrandum. Perverſum omnino Indicium! Quippe experientià multiplici fretus didici, vix temere aliud Criterion in morbis phthiſicis, unde de morbi eventu bono aut ſecus, certius indicare licet, quam appetitum proſtratum aut non proſtratum, modo tamen plane inverſo: hoc eſt appetitus debilis morbum indicat pariter debilem, ſaltem qui remediis cedat, vegetus vero mor-

 bum

(v) Vide Joh. Jones *de feb. intermitt.*

bum validum & mortalem futurum. Paradoxum hoc, primâ fronte inexpertis videbitur, minime tamen rationi diſſonum eſt. Primo enim, ſi radix mali in primis hæreat viis, omnino curatu facilior eſt, quam ſi a pectore & pulmonibus originem traxerit. Sed Secundo, detur, mali fomitem in pulmonibus, aut viſcere quopiam alio hærere: Quidquid noxium in ſanguine exiſtit, idem in locum debiliorem rejicere aptus eſt, ob villos partium debiliores, & tonum enervatum, unde materiæ heterogeneæ influxibus minus reſiſtit. Pulmo igitur, univerſam ſangunis immunditiem recipit, & ſuſtinet, ſtomacho interim integro, & malum inde deterius fieri per ſe patet. Verum ſi quâvis ex causâ major vel minor mali pars, motu naturæ critico, in ſtomachi glandulas cadat, proſtrabitur ſane appetitus; Aſt regio corporis mage principalis, & vitæ proximior, tantum ſublevatur, quantum ventriculus oneris fert. Igitur quo magis in pulmonum affectibus proſternitur appetitus, eò minus ex morbo periclitatur Æger, ni ſaltem naturâ a morbo nimium devictâ. Idem in univerſum ſuccum & ſanguinem, radices hactenus egerit, ita ut quaquaverſum labem ſuam ſternat; unde ventriculus proſtratus, ejuſmodi erit ſignum in morbis phthiſicis, quale gutturis dolor,

diarrhœa

diarrhœa colliquativa, pedum inflatio œdematoſa, & hujuſmodi mortis imminentis indicia.

DISSERTATIO QUARTA.

De Mercurio.

MErcurium, a Medicorum filiis, in univerſum ante annorum ſœculum damnatum, tanquam venenum nefandum, Empiricis debemus & Barbitonſoribus. Teſtis eſt (*a*) Fernelius, Medicus primæ notæ, cujus tamen doctrina tanti ſibi non erat, quin in Mercurium tanquam vitæ humanæ peſtem & carnificinam, acerrimis invehat verbis. Verum, præjudicium de Mercurio ſuſceptum, jam fere ſuperavit Medicina, & lites potius de ejus operandi modo moventur. Chymici plures, rem faceſſunt, ſpiritibus Acidis & Alkalinis, quorum alterutrum utique, pro modulo ſuo quiſque, Mercurii *Mercurium*, ſeu genium habent. Alii capulum duntaxat, ſeu rotæ axin ſali corroſivo volunt. Nullum mihi negotium, neque in his neque in illis refutandis. Id deinceps evincere conabor, Mercurium in menſtruo plus minus commi-

(a) *De Lue venerea.*

nutum, fortius aut debilius operari, quo ſphæruluæ, in quas duntaxat dividitur, ſolutione fiunt minores aut majores. Reliqua horum conſectaria ſunt.

PROPOSITIO PRIMA.

Mercurius ultimâ diviſione ſemper ſphæricus perſiſtit.

MErcurium, corpus fluidum ponderoſiſſimum, in moleculas ſphæricas duntaxat diviſibile, & nudo oculo patet, & ultimâ diviſione in Mercurio ſublimato corroſivo (cujus particulæ nudum fugiunt oculum) microſcopii ope perſpicuum eſt. (*b*) Boylæus quidem, contrarium faceſſcebat, præcipitato, ſuo modo parato. Verum, unica ſublimatio, priſtinam demonſtravit Mercurii formam. Neque aliunde intelligere eſt, qui Mercurius, pondere adeo inſigni in Alembico aſcendat, facili ſatis igne, niſi quod moleculas ejus ob figuram ſphæricam, ignis pluribus attingat ſuperficiebus, quam ſi aliam quamvis obtineret figuram: quippe ex mechanicis notum: Quo pluribus corporis ſuperficiebus, fluidi, in quo vehitur, impingunt particulæ, eò cæteris paribus,

(b) *Hiſtor: Fluiditatis & firmitatis, Part. 2. ſect. 53.*

bus, facilius, velociori, & validiori motu, corpus ejuſmodi a fluido propelli.

Propositio Secunda.

Mercurius majore ſalis copia, viribus paribus, ſubtilius comminuitur, quam minore. Quo vero ſubtilius comminuitur, ſeu ſolutione fiunt minores ejus moleculæ, eò fortiores edunt operationes Medicas.

SI V: G: ad diſſolvendum exquiſita diviſione Mercurii ʒj requirantur, ſeu opus ſit ſp: nitri optimi ℥ij; ſi eandem Mercurii quantitatem in ℥j ſpiritus diſſolvas, in moleculas dimidiâ proportione majores, hâc ratione diſſolvetur: quippe, per ſe patet, corpus quodvis eo minutius in menſtruo diſſolvi, ſeu ſubtilius comminui, quo fortius exiſtit menſtruum ſolvens. Verum ex intimiore ſolutione, ſeu comminutione, intenſiorem fieri operationem Medicam, duplici præſertim conſtat ratione. Primo moleculæ Mercurii quo minores ſunt, eò latiorem pro molis ratione obtinent ſuperficiem; conſtat enim ex Borelli demonſtratis. (c) In ſerie continuâ Arithmetice proportionalium, termini minimo propiores decreſcunt, majore proportione quam remotiores. Pluribus igitur contacti-

(c) *De motu Animal. Pars 2. Prop. 39.*

tactibus a fluido ſanguineo impulſæ, celeriore propelluntur motu. Secundo, minimæ Mercurii moleculæ, in ultimos corporis receſſus, & vaſa omnium minima, acceſſum & ingreſſum obtinent, craſſioribus, ſeu quæ majoris ſunt molis, negatum, unde patentiore tramite ex Arteriis in Venas, grandiores nempe, rectâ progrediuntur.

Hinc conſtat, quamobrem Mercurius, prima vice ſublimatus, altero aut tertio grano exhibitus, plura & vehementiora in corpore animali præſtat, quam plurima ſublimati dulcis grana. Vulgò id attribuunt Sali acido corrodenti: Sed primò, pauculum omnino eſt ſp: acidi, in quantitate dictâ Mercurii corroſivi, & quod in aqua vel alio quovis liquido ſolutum innocue haurias. Secundo, ſi Mercurium corroſivum in aqua diſſolvas, & oleo Tartari præcipites, fit pulvis gryſeus, quem Turpeth minerale Memſighi vocant: hujus gr: vj. aliquoties expertus ſum, ante horam unam aut alteram, ptyaliſmum, ſudorem copioſum, & unâ corpus ſurſum & deorſum valide movere: Tamen quidquid eſt ſp: acidi, videretur à liquore Alkalino omnino fractum & enervatum. Præterea, & hi non ſunt effectus ſalis corroſivi: quare non ſpiritui Acido, ſed Mercurio, ſubtilius a fortiori & largiori menſtruo, comminuto, hujuſmodi tribuenda. Et hinc certe Mercurius tertiâ

ub-

ſublimatione dulcis, blandius operatur decuplâ aut vigecuplâ quantitate, eò quod triplâ proportione, Mercurii quantitas, menſtruo jam largior eſt, quare haud tantum comminuitur Mercurius, & ea ratione omnino debilius operatur.

Ponderi Mercurii, in re medica parum tribuo. Gravitate quidem ſpecifica ſanguinem ſuperat; verum in ejus fluento defertur. Vis nempe motus ſanguinis, Mercurium propellentis fortior eſt, quam exceſſus gravitatis ſpecificæ Mercurii, præ gravitate ſanguinis. Quin & analoga Mercurii operationibus, videtur operatio oleorum corporis læviſſimi Medica. Olei nempe moleculæ minimæ, vel nudo oculo vel microſcopio obſervabiles ſphæricæ ſunt, ſaltem ad figuram ſphæricam maxime accedunt, & quæ de olei ramis philoſophatur vulgus, hypotheſis eſt, nempe id volunt ut intelligant, quamobrem olea in mutuos ruant amplexus, vel aliis adhæreant corporibus contiguis. Sed & Mercurius in mutuos amplexus omnium fluidorum avidiſſime ruit, quem tamen ramoſum eſſe, nullus hactenus imaginatus eſt, & ſi contiguis corporibus non adhæreat, id ex ponderis diverſitate omnium maxime inſigni intelligitur. Hinc ratio petenda, quamobrem olea chymica, præ alio quovis medicamine, tollant dolores colicos, flatus, & tormina a viſcido

in inteſtinis hærente. Experimentis etiam probavit (*d*) Bellinius, Ol: commune omnium liquidorum facillime ſubire cutis poros, modò a calido in motum cieatur. Ex hypotheſi tamen rem explicuit. Reverâ, moleculæ olei ſphæricæ, ut pluribus ſuperficiebus a calido attinguntur, ita minima ſuperficie contigua attingunt, & plures cum iiſdem mutant contactus, ut ratione figuræ per ſe patet, unde cæteris paribus, vel per aditum plus minus patentem, ut cutis glandulas, facilius permeant; vel obicem loco mobilem, ut viſcida in inteſtinis, faciliori penetrent operâ, quam alterius figuræ quævis, cæteris paribus.

Unum amplius reſtat ex propoſitione conſectarium, nempe quodvis ſalis genus Mercurium diſſolvere; unde & balſamo quovis naturali commode paratur, ad uſum internum. Ventriculi etiam & inteſtinorum ſalſum Mercurium crudum ſubinde diſſolvit: Quare & in ſcorbuticis ſanguine ſalſo præditis, vehementius ſæpius furit Mercurius, atque eâdem ratione cautiore manu hujuſmodi ægris adminiſtrandus.

PRO-

(d) *De venæſectione Art. de Balneis.*

PROPOSITIO TERTIA.

Mercurius immediata operatione ſanguinem ſolvit, atque fluidiorem reddit lympham.

QUO minore ſuperficie, & pluribus contactibus, corpus quodvis in motu exiſtens, in aliud corpus quieſcens impingit, eò facilius, illud hoc penetrat, vel per ejus planum permeat, quemadmodum videre eſt, globum cujuſvis materiæ, in planum projectum, ad angulum cum plano obtuſum, celerius & ulterius progredi, quam ſi idem numero globus, in aliam quamlibet fabricetur figuram, quæ majore ſuperficie, & paucioribus contactibus in planum impingat. Hinc ſequitur, corpus ſphæricum in fluido vectum, facilius cæteris paribus, obicem quamvis penetrare, vel loco movere, quam idem aut aliud corpus, in aliam quamvis figuram fabricatum: Præterquam enim quod minimâ ſuperficie obicem attingit, ob fortiorem etiam ex multiplici ratione fortuitâ, fluidi impulſum, ex unâ, quam ex altera parte, rotando procedet; inde haud minus in obicem arietabit, neutiquam vero loco hærebit, ut patet exemplo de globo in planum projecto. Atque hinc plura corpora ſphærica in motum poſita, plures mutant

con-

contactus, vel inter ſe vel cum aliis corporibus continguis, quam cujuſvis alterius figuræ corpora, eò quod pluribus ſuperficiebus ſe mutuo tangant. (e) Ex geometricis vero notum eſt, haud minus tredecim corpora ſphærica, ſimul attingere poſſe unum ejuſdem figuræ & magnitudinis, in medio poſitum.

His poſitis, conſtat, Mercurium, ultimâ diviſione ſphæricum, ſanguini atque reliquis corporis fluidis ſolvendis & comminuendis aptiſſimum; globulorum nempe Mercurii circumgyratione & mutuâ colliſione intime conquaſſantur fluidorum moleculæ, & ſæpius mutant contactus, unde totius compagis conſequens eſt ſolutio & fluor: atque eâdem ratione, obex quælibet in vaſis hærens minimis, loco pellitur. Neque minimum rei conducit canalium motus oſcillatorius ſeu contractilis, in vaſis minimis præcipue, in quibus Mercurii moleculæ anguſtiore loco occluſæ, atque renixu vaſorum ab extra conquaſſatæ, intimius premunt fluidum, in quo natant, & fluidius reddunt.

Ab hecticis igitur, & quorum ſanguis fluore nimio peccat, exulare debet Mercurius, & ſi ſymptomatum ratio remedium omnino poſtulet, cautus agat Medicus.

PRO-

(e) Vide Gregorii *Aſtronomiæ Phyſicæ & Geometricæ elementa. Lib. 2. cap. 20.*

Propositio Quarta.

Rationem exponere evacuationum, quæ a Mercurio fiunt.

SIVE ab ovo fiat animal, ſive prorſus jam formatum, a mare in uterum decidat; ex utrolibet, pari ratione conſequens eſt, non ſolum ſolida ſive canales in integrum hactenus fabricatos; verum etiam fluida, ab opifice, vel ante conceptum, vel a primis conceptus exordiis, in motum poſita, fluidorumque ſecretiones quaslibet, in motus ſui determinationes; ſive hoc fiat mediante preſſione undiquaque, fluidi diverſi indolis, ſive gravitatione uniuſcujuſque fluidi in ſemet ipſum: unde liquet, fluidum corporis quodvis, ſequi motum fluidi ejuſdem indolis & ſibi congeneris.

Quo poſito, ſi a Mercurio ita comminuitur, ſeu ſolvitur ſanguinis compages lymphatica, ut texturâ & conſiſtentiâ aſſimiletur fluido per inteſtinorum glandulas fluere ſolito, dejectio fiet per anum, ſi ſtomachi liquido, fiet vomitus, ſi oris & faucium, ſalivatio, ſi habitus corporis, ſudor: ſi vero mercurii ope, tanta fiat ſanguinis ſeu lymphæ comminutio, ut ſemitam uni liquido tritam, tota ſimul incedere non poſſit, tum non amplius

per

per unum rejicitur emunctorii genus, ſed undiquaque per plura, vel pro gradu operationis ulteriore per univerſa corporis emunctoria. Huc accedit, lympham ſanguineam, totam ſimul fere ſolutam, non in unius generis liquidum, ſed diverſa omnino comminui; unde quælibet ejus moleculæ, motum ſequuntur molecularum ſibi congenerum, in motu præcedentium, & per emunctoria ſibi trita rejiciuntur. Verum aliquamdiu, moratus in ſanguine Mercurius, aſſiduâ conquaſſatione, lympham reddit ſpumoſam, quemadmodum, ſi agites ovi albumen cum globulis plumbeis, quibus aucupes in avium venatu utuntur; indole igitur ad ſalivam maxime accedit, quare & viam petit ſalivæ tritam, & ſalivatione terminatur.

Si cui minus arrideat hujuſmodi rei explicatio, is ſecum perpendat, poros diverſmode fabricatos & fermenta, quæ imaginati ſunt Medici, funditus a (*f*) Pitcarnio profligata, ut alia omnino ſecretionis animalis indaganda ſit methodus, quam ſimpliciſſimam, ni fallar, ex natura propoſui. Id ſolum ulterioris intelligentiæ gratiâ addere libet. Partes univerſi corporis, ſpermaticas dictas, ſuccis nutriri ſibi propriis; neque villi muſculares aluutur ſucco oſſeo, neque membranarum chymo creſcunt parenchymata. Pariter, partes hæ, quem-

(f) *De circulatione ſanguinis per vaſa minima.*

quemadmodum liquida, in continuo exiſtunt fluxu, neque pori adſunt propriis ſuccis recipiendis & alienis rejiciendis. Quid igitur eſt, quod ſuccos hos, in canalibus maximis, cum cætero fluidorum gurgite confuſos, in partium dirigit meatus? Vel cum tota pars in continuo exiſtat fluxu, fluxum hunc, in una motus determinatione perſeverare faciat, ni id a naturæ primordiis conſtitutum ſit, fluida quælibet ſui generis fluida, a tergo premere & motu ſequi. Cauſam cauſæ non explico: id duntaxat Medico incumbere ratus, ut quid natura faciat aut ferat, rite dignoſcat; non vero quamobrem. (*g*) Neque aliunde credo mirandas rerum ſympathias intelligere datur, (*h*) neque cuipiam ſerio rem perpendenti, paradoxum videbitur, univerſam rerum naturam in ſemet gravitare. Si quæras quomodo? Reſpondeo, quo modo natura fabricata eſt.

(g) Vide Digbei *Philoſophiam.* Vallemontii, Baguette *divinitoire.* Du Hamel *Hiſt. Acad. Scient.* Art. *de fructibus a frigore reſtituendis.*

(h) Vide *Diſſert. primam.*

PRO-

PROPOSITIO QUINTA.

Si morbus aliis remediis non cedat, & Mercurio opus eſt. Idem, modo vires ferant, ad juſtum ptyaliſmi gradum exhibendus; neque intereſſe, an plus aut minus ſputet Æger, modo tramite non interrupto, ſoluta per glandulas ſalivales evacuentur.

MOrbi obſtinatiores ſunt, qui in arctioribus corporis hærent anguſtiis. Pariter quo diutius in corpore moratur Mercurius, eo intimius ſanguinem comminuit, & ulterius in meatus penetrat canalium arctiores, quibus non ſit aditus aliis remediis, ſaltem, eadem nimis debilia ſunt, obices anguſtiis dictis hærentes, loco movere: Quare ſi Mercurius proprium ſit morbo remedium, & vires naturæ ferant, eatenus in operatione perſiſtendum, donec pateat, morbi cauſam ſublatam, i. e. ad juſtum ptyaliſmi gradum.

Verum aut plus aut minus ſpuit Æger, pro corporis diatheſi, & morbi phaſi, quæ infinitis modis variant. Quare idem omnino de ptyaliſmo, quod olim de Altii dejectione ſtatuebat Hippoc: non quanta ſed qualia: i. e. quæ morbi cauſam & ſymptomata tollunt.

Ni

Ni ſaltem caput petat, aut motu naturæ contrario, ad inteſtina ruat. Eadem quippe utriuſque evacuationis ratio.

Hiſtoriam proponam, unam & alteram; ex quibus dilucidiore ratione, experimentis fultâ, res pateat.

Viro XXX. circiter annorum, habitus corporis ſatis repleti, viſcido-phlegmatici, doloribus rheumaticis vagis tentato, exhibui ſenſim Merc: dulc. ℥iiiß; ptyaliſmus inde fiebat ad dies quatuor decem: Lib. iß undies ſpuebat phlegmatis craſſi; dolebant interim gingivæ, intumeſcebant, & nigredine fœdabantur aliquali. Decimâ quintâ circiter ptyaliſmi nocte, irrequies primo factus, ex delirio incongrua vociferare incipiebat. Una aut altera purgatione, cum fol: auri & floribus ſulphuris, a morbi & remedii ſymptomatis unà liberatus eſt.

Mulieri ejuſdem propemodum ætatis, ex obſtructione lochiorum & deinceps menſium (de lue venerea etiam incidebat ſuſpicio) ſcabie elephantiacâ fœdâ, cruciatibus intollerandis comitatâ, laborabat. Unde macies etiam, fœminam ſuapte tenuem, conficere minabatur. Poſt remedia claſſica incaſſum tentata, ipſum etiam Mercurium per epicraſin exhibitum, fruſtra pariter, Merc: dulc: ℥iß die uno & dimidio altero exhibui. Inde ad dies decem ℔ vj & viij pituitæ tenuis

indies ſputô rejiciebat, nullo conſequente ſymptomate pravo, niſi quod finem verſus, debilitatem artuum, ut neque ſurgere neque loco ſtare poſſet, patiebatur. Eâdem methodo, interpoſito lactis uſu copioſiore, liberata eſt, & ſcabies cum ſymptomatis evanuit.

En primo diſcrimen conſpicuum, nter operationem Mercurii in ſanguinem viſcidum, & eandem in ſanguinem tenuem. Rem auget diſcrimen quantitatis Mercurii, plus quam unâ dimidiâ parte minoris, unde fiebat evacuatio major; tum etiam corporis habitus repletus, in primo caſu, tenuis vero & naturâ & morbo in altero.

Secundo, Ægra nullo tentabatur Capitis ſymptomate, aut alio quovis incommodo, in ſalivæ profluvio, una fere dimidia parte plus quam ſolito: A dimidiâ tamen minùs, ſalivæ copiâ rejectâ, gravia Æger patiebatur capitis mala. Nimirum in ſecundo caſu propoſito, fluida ſoluta libero tramite, per glandulas fluebant ſalivales. In primo vero ob viam per glandulas impeditam, eadem caput petebant. Atque idem prorſus de fluore albi dyſenterico, a ptyaliſmo interrupto, arguendum.

Tertio, Incredibile fere videbitur? Mulierem naturâ tenuem, & morbo pene confectam, decem diebus pluſquam ſexaginta pituitæ libras rejeciſſe. Sed rem geſtam narro,

neque

neque ex conjecturâ, ſed menſurâ adhibitâ, computatio facta eſt; liquet inde, Mercurium, non in ſanguinem duntaxat, in vaſis majoribus exiſtentem operari, (cujus integra quantitas ad $\frac{1}{3}$ dictæ quantitatis vix accedit) ſed in intima corporis penetralia & receſſus ultimos penetrare, in quibus liquida reſolvit eadem operâ e corpore rejicienda.

Quarto, Mercurium meliora præſtare ad juſtum perductum ptyaliſmum, quam eundem minutim exhibitum, aut ab operatione interruptum. Semel aut bis, Mercurio exhibito, ad unius aut alterius diei ptyaliſmum leviorem ægram perduxi, deinceps eundem per alvum derivandum curavi, nullo Ægræ commodo, juſto autem excitato ptyaliſmo, omnino liberata eſt. Quare interrupta a purgantibus Mercurii operatio, modo juſtam natura ferat, minus indicationi Medicæ convenire videtur. Hinc enim naturæ motus interturbatur, lymphæ comminutio juſta, quam tamen præ ſe fert Medicina, præpeditur, & alvi dejectione pleniore ad ptyaliſmum ſiſtendum requiſitâ, æger in caſſum debilitatur, & viribus fatiſcit.

Quinto, Quod obiter noto, vulgi opinione perhibetur, Mercurium ad ptyaliſmum perductum, fermenta, quæ dicunt, corporis deſtruere. Ego in Ægrâ dictâ expertus ſum, obſtructionem menſium obſtinatam biennium

ad minimum perſiſtentem, a ptyaliſmo inſtituto medicatam.

PROPOSITIO SEXTA.

An, & quâ ratione, corpus præparandum ſit, ut Mercurii operationibus fiat idoneum?

SOlenne apud Medicos eſt, ante Mercurium ad ptyaliſmum exhibendum, venæſectione, purgatione, & aliis hujuſmodi univerſalibus dictis, corpus luſtrare; tanquam ſi Deus quisvis, hoſpitio recipiendus eſſet, aut Cacodæmon excorciſmo rejiciendus. Mirum ſane, ita parum Hominibus nota eſſe, quæ Arte profitentur, ut non id agant, quod norunt, ſed ideo agunt, quia non norunt; quippe ab ignota Mercurii operatione incommoda neſciunt, quæ chimerica ab ejus verentur uſu, quæ ut caveant, veris ſubjiciunt Ægros incommodis. Et cum unicum a nimia Mercurii operatione incommodum ſit debilitas nimia, ante Mercurium exhibitum S: A: malo viam ſternunt, & ejuſdem cauſam præpoſterâ evacuatione augent.

Mercurium, corporis comminuere & ſolvere fluida, ex omnibus conſtat de Mercurio dictis. Fluida igitur ſolvenda ſunt, aut non

ſunt

ſunt ſolvenda; ſi ſolvenda, non alia ratione intimius ſolvuntur, quam mediante Mercurio; ſi gradatim aut leniter ſolvenda, gradatim exhibeo Mercurium, aut apparatum ejus leniorem. Si Mercurium non ferat Æger, omnino a Mercurio abſtinendum. Ego plane ita ſtupidus ſum, ut quid ſibi velit ſolennis hæc præparandi ratio, prorſus ignorem.

Minime tamen rationi diſſonum arbitror, corpus Mercurio idoneum reddere, quemadmodum alvus durior purgationi commodo redditur aptior, Oleo nempe aut butyro inſulſo copioſius devorato, unde inteſtina lubrica & ſolutiora fiunt; neque dubium, ſi gingivæ & glandulæ ſalivales decoctis & fumigiis emollientibus & aperientibus, maſticatoriis, & aliis hujuſmodi, molliores & apertiores inter Mercurium exhibendum redderentur, quin ſalivatio juſtiore & faciliore procederet modo, majore etiam naturæ commodo.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Quâ ratione, a nimia vel perverſa operatione retineatur Mercurius, atque ex corpore eliminari poſſit?

MErcurio edomando aurum propinant Medici; nempe alexipharmacum habent omnium præſtantiſſum. Ego

ſane, aurum exiſtimo pauperiei potius quam Mercurii antidotum. Verum inquiunt: Mercurius cum auro facile amalgamatur; ſed non minus facile credo cum argento, ſtanno, aut plumbo, amalgamatur, iiſdemque eadem adhæret facilitate. Præterea, ut aurum figat Mercurium, ſeu a motu cohibeat, aderit, opus eſt, utriuſque cum preſſione contactus. Supponantur igitur in ſanguinis fluento, & reliqua compage corporis fluida, Merc. ℥iij plus minus: exhibeatur fol: Auri ʒß aut circiter. Neutiquam ſane capax eſt auri quantitas Mercurium dictum amalgamandi. Pariter, Mercurius æquo modo diviſus in fluido natat haud minus ſexaginta librarum, (ſi duplicem diceres quantitatem, vix extra oleas eſſes, neque enim de canalium majorum fluido fit ſermo) in vaſa numero infinita diſtributo. Quâ igitur Arte magicâ, in tanto ſpatio, & intercapedine fluidâ, in mutuos undique ruent cum preſſione contactus Merc: & aur:

A floribus ſulphuris, mira ſibi alii ſpondent. Nimirum obſervant in æthiope minerali conficiendo, Mercurium a ſulphure figi, & blandiorem reddi, ut nulla evacuatione ſenſibili operando notetur. Et hocce commentum eadem refellitur methodo. Corporis animalis vaſa, vaſorumque diſtributio infinita, & undique pervia, haud videntur mor-

ta.

tarium, pinſandis Mercurio & ſulphure idoneum. Sæpius quidem ad Mercurium ſævientem cohibendum, ſulphur exhibui, ſemel duntaxat quid præſtare poteſt nitide expertus ſum. Mulieri ſuperius memoratæ, noctu exhibui fl: ſulphuris ℈j, die ſequenti ℥iij, totidem vicibus: unde ardor totius corporis cum ſiti exquiſitus, ne hilum tamen remittebat ptyaliſmus, neque aliâ ratione, quàm lacte copiosè propinato, deinceps etiam purgato corpore, & Mercurii & ſulphuris, una evanuere ſymptomata. Lac igitur, aut quidpiam lacti analogum, balſamica etiam atque glutinoſa, ut decocta emollientia, hauſta quantitate moli ſanguinis proportionata, ſola hactenus novi, quæ Mercurio frenum indunt, ejuſdem moleculas involvendo, ſanguinis compagem nimis laxam & fluori aptam, in tenaciorem reſtituendo, & magis compactam; unde naturæ viribus ſenſim debellatur, aut Arte e corpore rejicitur. Eadem didici ratione, lac ſubinde pro potu ordinario, durante ptyaliſmo propinare, quod probe cedit. Verum id minime ſupponendum, Mercurium integrâ, quâ devoratur, quantitate, ad ultimum ptyaliſmi gradum, in ſanguine reliquaque fluidorum mole perſiſtere; quin procul dubio admodum cujuſlibet alterius medicaminis evacuantis, e corpore cum humorum ſaburra evacuatur, plus minus. Id po-

tius ſtatuendum, fluida ſoluta poſt Mercurium magnâ parte rejectum, eandem inſtituere motus ſui determinationem, atque eodem progredi curſu, in quem mediante Mercurio a principio poſita ſunt. Quare

Purgantia (blandiora omnino intelligo) ſupremam in dato caſu ferunt operam, non tam quod Mercurium, ad alvum derivatum dejectione rejiciant, quàm quod fluidorum motum, nimio impetu aliorſum derivatum, ad alvum ferant, unde interpoſitis præcipue medicamentis alterantibus, tota fluidorum moles ſtatui redditur priſtino, quod indies in cujusvis generis derivationibus, evacuatione præſtitis, obſervare pronum eſt, & probe a (*i*) Bellinio explicatum.

(i) *De miſſione ſang.*

PROPOSITIO OCTAVA.

An & quatenus, Mercurius ſyſtemati nervoſo conveniat, aut non conveniat?

MErcurium nervis inimicum, proverbio tenus, dudum inter Medicos receptum; neque ignotum, artifices, in Mercurio tractando occupatos, affectibus ſpaſmodicis ſæpius tentari. Attamen affectuum

ctuum cerebri antidotum, hodierna fere recipit Medicina. Idem igitur medicamentum, ad eundem morbum, bonum eſt & malum, noxium & utile; ni ſaltem exponerent Medici, quâ morbi circumſtantiâ, aut Ægri temperaturâ, conveniant aut ſecus: Verum ad hæc hactenus ſilent.

Affectuum ſpaſmodicarum cauſam immediatam, eſſe nimiam corporis aut nervorum inanitionem aut repletionem, ex diſſertatione de Opio patebit.

Liquidum nerveum nimis vel viſcidum, vel fluidum, affectibus his obnoxium, ex eadem etiam facili patebit opera. Id impræſens advertendum, liquidum naturali viſcidius, in cujuſvis generis canalibus hærere aptum eſſe. Id autem in unâ potius, quàm aliâ multiplici contingit causâ; ex canalis obſtructione, fit liquidi aliorſum reflexus, ex reflexu convulſio.

Mercurii operationem primariam, & immediatam, eſſe fluidorum corporis ſolutionem, ex omnibus conſtat, ſuperius de Mercurio dictis.

Quare ſi præ viſcido nimis liquido nerveo, inæquali modo in nervos influat, ita ut iidem ex una parte, nimium repleantur, ſeu ex altera inaniantur, Mercurius liquidum viſcidius comminuendo, radicem mali præcidet, & ſublatâ causâ tollitur effectus.

E contra, ſi inæqualis fiat liquidi nervei influxus, præ nimio ejuſdem fluore, mali fomitem augebit Mercurius, & ſymptomata reddet deteriora.

Demum ſi ex animi affectu, ſtimulo, aura vel odore ſpirituum deleterio ad ſtimulum referendo, fiat affectus, ni aliunde ſumenda indicatio, (quemadmodum fit in affectibus convulſivis, a vermibus in pueris præcipue) neque nocet Mercurius neque prodeſt. Hæc enim ut Mercurius, operatione immediatâ non attingit, neque ad unam corporis diatheſin præ alia ſpectant. Ni igitur Ægri vires Mercurio nimio exhibito proſternat Medicus, aut morbo in caſſum præbeat inducias, Mercurio exhibito famæ propriæ pejus conſulet quam ægro.

Ex dictis patet, cerebro & nervis primarie affectis minime convenire Mercurium, ex prava corporis diatheſi convenire aut ſecus, pro diverſi ægri temperatura.

DISSER-

DISSERTATIO QUINTA.

De Opio.

QUantum ob Opio metuerit vetus Medicina, demonſtrant ejus præparata Antiquiora, Philonia, Diaſcordium, Theriaca. Enimvero Opium ultimo gradu frigidum arbitrati, admixtis calidis corrigere nitebantur. Quin & datâ operâ, ſenſui fidem negabant. Unde (*a*) Fernelius pro concesſo habet, Opium naturam ſuam, a primis qualitatibus, minime obtinere. Hodie etiam licet minori apparatu, ad idem tamen inſtitutum Opium parant Medici; neque tutum ſatis habent, uſui interno, ni cum caſtoreo, & croco, corrigatur. Haud quidem diffiteor, peſſima ſubinde ab Opio conſequi ſymptomata. Neque ſecus tamen, a vino generoſo fiunt Homines, fatui furibundi, atque prorſum deliri. Nempe aut ſemel, aut vina haud probe ſubinde norunt. Allium apud veteres famoſiſſima extitit Medicina. Inter luxus etiam condimenta uſurpabant Divitiores: Tamen Horatius, allio inter Mecenates epulas comeſto, male mulctatus

(a) *De abditis rerum cauſis Lib. 2.*

ctatus eſt, quare & integro (*b*) carmine ſatyrico, innocuam radicem tanquam venenum infenſiſſimum, ex inferis allapſum, diris vovet execrationibus. Vires Opii diaphoreticas primus notavit (*c*) Etmullerus: (*d*) Pitcarnius operandi modum, ex rei natura aggreſſus eſt: Ego Pitcarnii inventa, ulterius proſequi anniſus ſum. Opium præ reliquo quolibet medicamine, ſanguinem, atque reliqua corporis fluida expandere, atque ex fluidorum expanſione, omnem ab Opio conſequi effectum, deinceps demonſtrare conabor.

(b) *Parentis olim, ſi quis impiâ manu,*
Senile guttur fregerit;
Edat cicutis, allium nocentius &c.
(c) *De vi Opii diaphor.*
(d) *In diſſertationibus.*

PROPOSITIO PRIMA.

Datâ ſanguinis expanſione, ſubſiſtit liquidum nerveum, & fit ſomnus.

INter dormiendum ſanguinem rareſcere, ſeu mole expandi, conſtat ex eo, quod epoto liquore generoſo, a cibo comeſto potius quam famelici, æſtate quam hyeme, calido potius quam frigido corpore, cæteris paribus ad ſomnum ſimus procliviores. Huc accedit in ſomno corpus magis incaleſcere,

pulſum

pulſum ſupra ſolitum attolli & accelerari, Anhelitum etiam intenſiorem fieri. Hæc ſi minus in ſanis percipiantur; nempe quod expanſio ſanguinis, vix ſenſui obvia, in ſtatu naturali, ſomno ſufficiat: Aſt in Ægris, febrientibus imprimis, inter dormiendum, haud dubiâ perceptione obſervare eſt. Porro in ſanis partes ſexus virilis genitales, dum ſomno indulgent, eriguntur, ab influxu nempe copioſiore, ſanguinis expanſi, in ſpongioſam membri virilis ſubſtantiam. Verum ſanguine expanſo, Arteriæ diſtenduntur. Arteriæ dilatatæ nervos comprimunt decuſſatim contiguos, fortiori vi, quam eſt reſiſtentia nervorum, ob firmiorem & arteriarum & ſanguinis compagem, quare eorum latera ſibi mutuo in contactum compreſſa, liquidi contenti præpediunt fluxum, in cerebro imprimis, ob laxiorem ſuam compagem, & duo Arteriarum paria, quibus copioſiſſimo alluitur ſanguine. Patet ergo Prop:

Qui rationem deſiderat, quamobrem in nervis etiam functioni naturali deſtinatis, non præpeditur liquidi nervei fluxus, (*e*) Williſium adeat de diſcrimine originis nervorum, animalium & naturalium. Id ſaltem naturæ apprime congruum videtur, nervos officiis naturalibus deſtinatos, ab arteriis contiguis liberos exiſtere: unde & in apoplexiâ ſanguinea,

(e) *Anatomia Cerebri.*

guinea, libere aliquamdiu reſpirant Ægri. Interim, dictis minime adverſatur, quod in febribus ſanguis plurimum expanditur, & tamen febrientes, ni adſit Capitis affectus, obſtinatius vigilant. Quippe in febribus liquidum a ſanguine in nervos ſecernitur, & nimiâ quantitate, & qualitate pravâ, igneâ nempe acredine: unde vel nullibi ſiſtitur, vel ſicubi, arteriaruum impulſu, præpeditur, ferociore motu, in partes ruit vicinas, & vigilias efficit: Verum ſi febris mitior exiſtat, ſæpius ab initio dormiunt Ægri; quod norunt, qui inter Ægros verſantur.

PROPOSITIO SECUNDA.

Spasmus ſeu convulſio, & Motus convulſivus, fiunt a nimia inanitione vel repletione totius corporis; immediate vero omnis convulſio fit a repletione nimia, nervorum partis convulſæ.

SUpponantur omnes univerſi corporis canales, juſtâ quantitate ſui liquidi repleti, augeatur ſubito quantitas: Quo magis, quantitate augetur, aut rarefactione (quæ etiam repletionis eſt ſpecies) expanditur moles ſanguinis, eo magis diſtenduntur canales, non ſolum majores, ſed minores & mini-

minimi, ſeu glandulæ ſecretoriæ. Pariter non uno inſtanti, ſed tempore naturæ viribus proportionato, ſubiguntur recepta in formam fluidis corporis reficiendis idoneam. Unde cum ſupponatur moles ſubitò augeri, ut ſemper fit in convulſionibus a repletione, truduntur per glandulas cerebri, ultra naturæ modum hiantes, moleculæ nimiâ quantitate, & liquido nerveo hetereogenea: idque majore quantitate per glandulas, præ toni debilitate magis patentes: Unde ſublato liquidi nervei æquilibrio, pars quævis hujuſmodi liquido magis irrigata, in motus deſtrahitur naturæ contrarios, i. e. convellitur. Verum frequentior ab inanitione convulſio. Quare

Detur canalis trium linearum capax, fluidum, cujus columnæ diametrus eſt duarum linearum, æquâ facilitate canalem dictum, intraret & penetraret, ac idem fluidum; minore quantitate, ſeu cujus columnæ diametrus eſt unius duntaxat lineæ: Quo poſito,

Secundo, minuatur moles fluidorum, quæ fiat tertiâ parte minor, quam quæ poterit canales ad naturæ modum conſtitutos permeare. Integrâ perſiſtente naturâ, canalis quilibet ſuam duntaxat recipiebat fluidi proportionem, ob reſiſtentiam undique æqualem: Sed reſiſtentiâ jam tolli ſupponitur unâ ter-

tiâ

tia parte per univerſum corpus; ergo etiam in cerebri glandulis, liquidi nervei excretoriis, & in ipſis nervis: Quare ſi tertiâ parte magis fluat ſanguis, (multiplici autem ratione id fieri poteſt reſiſtentiâ ſublatâ) ad compagem glanduloſam uno nervo deſtinatam, quam ad aliam quamlibet, vel fiat fluxus ipſius liquidi in unum nervi ramum, magis quam in alium, omnino quæcunque corporis membra, nervo huic appropria, convulſione diſtrahuntur.

Tertio, Convellitur corpus, aut corporis membra, ſtimulo, punctione nervi, odore, aut fumo naturæ diſſono, aurâ demum epilepticâ. Conſtat ex diſſert: pr: actione ſtimuli, canales nerveos, vires exerere fortius contractiles, atque motu oſcillatorio liquida contenta, celeriori motu canales permeare. Major igitur a tergo quantitas ſequitur ejuſdem liquidi, ob minorem reſiſtentiam: & eâdem ratione fit convulſio. Unde ulterius patet ratio convulſionum a moleculis heterogeneis liquido nerveo commixtis, in primâ propoſitionis parte, Stimulo quippe operantur.

Vetus extitit doctrina Hippocratica, omnigenæ convulſionis exiſtere cauſam corporis repletionem, aut inanitionem. Rationem dudum explicandam ſuſcepit Bellinius. Magni viri nomen honore, ejus doctrinam ſi ſubinde

inde minus placeat, modeſtiâ, quâ par eſt, ſuſcipio. Neque tamen diffiteri auſim, cogitata ſua de affectibus ſpaſmodicis, ſenſu, quo polleo, incogitanter nimis prolata. Quippe primo, pro dato habet, nervos totidem quaſi chordas, muſculos, & oſſa tanquam pondera appenſa, attrahere. Sed quâ ingenii acie innoteſcit, ſubſtantiam tam mollem, laxam, & tenuem, quemadmodum eſt nervus, ut nullus in corpore humano reperiatur, ſtraminis vulgaris, viribus & conſiſtentiæ æqualis, non ſolum Artus ſecum trahere, ſed viribus, quæ ſuperant reſiſtentiam, millies majorem. Secundo, Pro dato etiam accepit inanitionem, vel repletionem, corpus & nervos ſiccando vel humectando, eoſdem abbreviare, quemadmodum funis, vel igne aduſtus, vel aquâ madefactus contrahitur. Sed primo contra rationem propriam in genere datam, ſupponit etiam aliquando, nervos humectatione relaxari, & longitudine protendi, unde ex alterius nervi non convulſi parte fit convulſio: ſed nullâ explicat ratione, quamobrem potius relaxatur, quam abbreviatur, aut e contra. Secundo, ſuppoſitio plus quam precaria eſt, dari ex inanitione calorem in corpore adurentem, quam neque natura ſuſtinet, & ſi detur hectici ob inanitiones ingentes, quam maximé convulſionibus eſſent obnoxii, quod neutiquam fieri, ex obſerva-

tione hactenus conſtat. Tertio, Detur nervos humido ſuperfluo immerſos, vel abbreviari, vel relaxari, ultra naturæ modum: Verum non fit ſermo, de habitu corporis humido ſed repleto, a quo, non minus, ſæpius, differt diatheſis humida, quam ſicca. Quarto, Supponatur nervum quemvis, tertiâ parte, quæ ſane maxima, abbreviari; igitur tertiâ duntaxat parte motus, cujus eſt capax, os attrahet appenſum: Verum, in convulſionibus, & motibus convulſivis, tantum ſæpius convellitur ſeu diſtrahitur membrum, quantum ſuſtinet articulationis nexus. Quinto, Gradatim omnino fierent motus convulſivi, ut gradatim duntaxat, vel exſiccantur vel humectantur nervi: Verum motus hi omuino fiunt ſubitanei. Demum: In genere humectationem & exſiccationem ponit Bellinius, nullâ tamen explicat ratione, quamobrem nervus unus potius quam alter, exſiccatur aut humectatur, ut fiat convulſio, ex unâ potius quam aliâ parte. Univerſa ſane hæc doctrina hypotheſin ſapit, Homini incongruam, & à quâ abhorret Medicina.

Medicamenta antiepileptica dicta, ſive Galenica, ſive Chymica, calida eſſe, ſive ſale acri oleoſo fœta exiſtere, communi conſtat Medicorum ſenſu, ſapori etiam obvium eſt. Talia vero ſanguinem orgaſmo exagitant, unde rarefit, & mole expanditur. Quare hujuſ-

hujuſmodi in affectibus nervorum, à nimia repletione, omnino cauſam mali augent, & morbum reddunt deteriorem. In adultis quidem, ſæpius fiunt convulſiones, ex inanitione quàm repletione, ni adſit febris, unde & Hippocratis prognoſtica de prima fere extitere, in quâ quidem Medicamenta, morbo ſpecifica habita, quod volatilia ſint, apprime conveniunt: Verum in pueris, & infantibus, res eſt prorſus alia, quorum affectus ex nimio, præ indigeſtione infarctu, repletionem prædicant, cui accedens dentitionis dolor, aut prava lactis indoles, Tenellos in convulſiones præcipitat. Et in his quidem, expertus ſum, Medicamenta Antiepileptica, ut caſtoreum, Sal volatile ſuccini, oleoſum &c. hujuſmodi, nihil præſtaſſe boni; quin ex eorundem uſu deteriores potius fieri. Iidem tamen pauco detracto ſanguine, vel præcipue, alvo quovis modo laxatâ, in meliorem ſtatum confeſtim reſtituti ſunt.

Ex dictis de convulſivis naturæ motibus, facili operâ patet, ex nervorum cerebri convulſione, ſeu repletione aut inanitione fieri delirium; quippe nervo quolibet cerebri, vel nervi principio, repleto aut inanito ultra juſtum naturæ tonum, latera ejuſdem ſitu dimoventur, unde ſpecies iiſdem impreſſæ omnino etiam dimoventur, & aliæ fiunt multiplices, pro multiplici ſenſorii nervei dimo-

tione, & incongrua percipit vel loquitur, i. e. delirat, prout ſpecies ab naturæ inſtituto diſturbantur.

Infinita propemodum comminiſcuntur Medici, in variis delirii ſpeciebus explicandis; Spiritus efferos, bilioſos, melancholicos, vapores a ſtomacho, ab utero, & neſcio quot alia. Williſius tandem, choreas, excubias, Aquas ſtygias & vitriolicas in ſcenam produxit. En precariam omnino artem, quæ hypotheſi nititur; neque quidpiam ſi, petita dentur, ad morbi faciunt vel cognitionem vel curam. Rem ex dictis magis obviam arbitror, unde & morbus & cura ad naturæ modum concipiantur.

PROPOSITIO TERTIA.

Ex quovis animi pathemate graviore, fit convulſio, vel cerebri duntaxat, vel aliarum corporis partium.

PAthemata animi graviora, lætitia ſunt aut mœror, ſaltem ad ea referuntur, quæcunque gravius animum afficiunt. Lætitiâ expandi ſanguinem, ſeu rarefactione dilatari patet, ex corporis colore magis vivido, pulſu vegeto, & ſimilibus ſanguinis expanſi indiciis. Expanſo ſanguine, dila-

dilatantur ſeu diſtenduntur glandulæ cerebri, liquidi nervei ſecretoriæ, & ipſi nervi; unde fit fibrillarum cerebri, quibus imprimuntur ſpecies, dimotio; & ſi pro gradu repletionis majori ulterius procedat, cujuſvis ad quam allabitur liquidum expanſum, partis convulſio. Hæc vero rarius accidunt. Sed Mœrore (quod ſæpius fit) ſanguinem collabi, ſeu compage ſuâ conſtringi, & mole minorem reddi, indiciis conſtat omnino contrariis; ſudore etiam frigido, ſero nempe ob ſanguinis motum debiliorem, per corporis habitum elabente; calido tamen ſubinde, ſanguine ob interruptum motum ferveſcente. Unde contraria ratione, minus ſecernitur liquidum nerveum, quam naturæ officiis par eſt, & immediatus effectus fit præcordiorum anxietas, fatiſcente liquido nerveo in ſtomachi orificio, interrupto etiam ſanguinis per pulmonem motu, ob idem liquidum parcius & debilius in expanſione nervea, cordi & pulmonibus deſtinatâ. Verum dum parcius ſecernitur, idque notabili gradu, irregulari modo nervos intrat, & nervorum ramos, ut conſtat ex ſuperius dictis, & fit partis, ad quam majori copia allabitur, convulſio.

Huc referuntur paſſiones mulierum hyſtericæ, quæ rarò a corporis habitu, ni accedat animi pathema, ſexum ſequiorem im-

 petunt,

petunt. Mirum ſanè, quantus apud Medicos de vaporibus eſt ſermo, & quidquid de mulierum affectibus rite aut ſecus capiunt, vapores fiunt. Interim vapores hi, ſi Capitis ſint, nihil ſunt, quam dimotio ſpecierum cerebro impreſſarum, a nimia vel evacuatione, vel repletione fibrarum nervearum, quibus ſpecies hæ imprimuntur: Patet enim ex utrâlibet causâ, dimoveri fibrillas, & pro variâ dimotione varias fieri ſpecies, vel antea impreſſas, vel ipsâ dimotione confeſtim imprimendas. Si vero extra caput, ad quælibet corporis membra procedat convulſio, tum unius ejuſdemque rei, ulterior duntaxat fit progreſſus: Ni ſaltem, per accidens, repletio cujuſlibet nervi, exordium ſumat a rami divaricatione, atque ſic capite minime tentato, fiant aliarum partium motus convulſivi.

PROPOSITIO QUARTA.

Si diutius in expanſione perſiſtant corporis fluida, fit vel totius corporis, vel debilioris partis paralyſis.

EX prima diſſertatione, conſtat univerſi corporis canales, aſſiduo renixu in fluida agere, ad eadem antrorſum in circuitu propellenda. Verum diuturniore ſanguinis

guinis & liquidi nervei expanſione, plusquam natura fert, diſtenduntur canales, atque nimium in tenſione præternaturali perſiſtunt, unde tonum admittunt, & elumbes fiunt; neque renixu contractili pares fiunt fluidis, nerveis imprimis per vaſa propellendis. Qu n & fluidorum tonus, haud minus, diuturnâ expanſione delaſſatur, unde & fortiori ratione omnino inſequitur paralyſis. Quare minime abſurdum eſt, quod refert (*f*) Diodorus de Sabæis Arabiæ felicis incolis, quod membris exſolutis, ut plurimum ante juventutem elapſam moriebantur, continuo utique aromatum vireſcentium, (quibus terra abundat) atque nimis conſerto odore cum ſpiritu hauſto. Unde viderint illi, qui quodvis paralyſeos genus, calidis & aromaticis medicaminibus curare ſatagunt, an ægris ritè, an ſecus perſpiciant. Ex dictis ſaltem conſtat, quamobrem laborem ſequitur laſſitudo, alvi pigrities Medicamentum purgans, gaudium effuſum mœror, denique nimium Bacchum Paralyſis, ſeu ſenſuum ſtupor. (ſtupor nempe, eſt Paralyſis cerebri, & Paralyſis eſt ſtupor cujuſvis alterius parte.) Quippe, a nimiâ, & diuturniore liquidorum expanſione, canales, & canalium villi tono debilitati, tardiùs, vel pro cauſa graviore nunquam deinceps, officia peragunt oſcillatoria.

 Pro-

(*f*) *Hiſt. Lib.* 3.

PROPOSITIO QUINTA.

Ab Opio immediate , expanditur ſanguis ; & expanſo ſanguine , expanditur etiam liquidum nerveum.

COnſtat, Opii ſubſtantiam, ſine miſcelâ quâvis extraneâ, facile igne, ex arena ſpiritum effundere oleoſum fœtidiſſimum, i. e. maxime volatilem. Hujuſmodi autem in ſanguinem recepta , notum eſt, eundem rarefacere, ſeu mole expandere. Tum etiam re ipſa, ab Opio corpus incaleſcit, facies tumidior fit, pulſus celerius & altius vibrat, ſudor etiam, iſque pro corporis diatheſi, & Opio exhibito , quam a quovis alio Medicamento copioſior erumpit, neque aliâ ratione, ſudorifera famoſa, ut Theriaca, & Diaſcordium, ſudorem movent , quàm ob Opium juſtâ doſi una in ſanguinem devectum, Salibus volatilibus etiam, incaſſum aliquando, molitus ſum ſudorem prolicere. Rarius autem fallit opium, ni diaphoreſi largiori vaſa depleat, (g) idque meliore ſubinde effectu, quàm ſi ſudore proflueret corpus; quæ omnia ſanguinis expanſi, & rarefactione dilatati ſigna exiſtunt indubia.

San-

(g) Vide Sanctorii *Medicin. Static. Art: de ſomno & vigiliis.*

Sanguine expanſo, expanditur etiam liquidum nerveum duplici ratione. Primo rareſcente ſanguine, quæ mobiliora & tenuiora in eodem exiſtunt, magis extricantur a vinculis compagis craſſioris, unde facilius per cerebri glandulas in nervos permeant, & liquidum in nervis exiſtens rarefactione expandunt, quemadmodum fit ab epoto liquore generoſo. Secundo, Idem de Opii particulis cum ſanguine devectis, eâdem patet ratione. Noví Hominem a viginti & amplius annis, ob cruciatus ventriculi graves Opio aſſuetum. Is, ab Opio noctu devorato, die inſequenti, temulenti inſtar, vertigine laborat, & titubat : tertiâ, verò, univerſum Hominem, vigor occupat inſolitus; haud dubio indicio, Opii ad liquidum nerveum allapſi.

Hinc conſtat, quàm ineptâ encheireſi, Opium corrigant Medici antiqui aromatis calidioribus, hodie verò, caſtoreo & croco. Enimvero contra omnem ſenſum, imaginati, Opium, veneni quidpiam continere frigidiſſimi, idem calidioribus admixtis debellare aggreſſi ſunt. Verum conſtat, Opium Medicamentum eſſe omnium calidiſſimum : (Idiomate loquor Medicis proprio) viribus igitur, minus calidis quodammodo augetur, nedum fit mitius. Equidem, ſalia volatilia ob acredinem ſummam, inani Opio frenum aliquomodo indere, haud prorſus abnuerem :

Quidquid vero Opium corrigendo præſtant, eâtenus præſtant, quatenus ſtimulo operantur.

Deinceps, uſum & abuſum Opii in morbis, ex hactenus dictis, connexâ dictionis ſerie, demonſtrare conabor.

Primo, Sanguine Opio mediante expanſo, ſeu rarefactione dilatato, diſtenduntur Arteriæ, & Arteriis dilatatis, nervi imprimis cerebri, in laterum contactus comprimuntur; unde liquidi, qui in nervis eſt, præpeditur fluxus, & ſomnus fit plus minus profundus, quo magis a majoribus Opii viribus, Arteriæ nervos ſeu nervorum principia, functioni animali dicata, comprimunt.

Secundo, Eadem conſtat ratione, Opium doloribus levamen adferre. Dolor enim eſt ſtimuli ſpecies, cujus ope, majori copiâ, fluit liquidum nerveum in partem læſam, (ut ex prima innotuit diſſertatione) unde læſio fit major: Verum, ab Opio Arteriæ dilatatæ, liquidi nervei, in partem influxum præpediunt, & eadem ratione tollitur dolor; aut ſi altiores egerit radices, ſaltem aliquamdiu ſedatur. Verum, quoſvis dolores non tollit indiſcriminatim, ſed magis aut minùs, quo proximior & fortior arteriarum in nervos impetus. Unde præ reliquis odontalgiam, & colicos tollit dolores, illam quidem ob ar-

teriam, a carotide externâ, ramum quinti nervorum paris, per dentium radices concomitantem; hos vero ob ingentem arteriarum cœliacarum, & meſeraicarum copiam, quibus ventriculus & inteſtina, prorſum quaſi operiuntur. Arthriticis autem doloribus fixis, minus confert, quod nullis Arteriis conſpicuis, quin (*h*) liquido unctuoſo, perioſtia in oſſium articulationibus, ubi labes hoſpitatur, perfuſa ſunt; ni ſaltem ſudore ab Opio conciliato, egreſſus labi ſternitur, atque hac ſaltem ratione fiat doloris levamen.

Tertio, Detur corpus ex repletione convulſum; ſi Opium exhibeat, expanduntur, fluida, & repletio fit major, atque deterior morbus. Hinc, a febribus in ſtatu, aut ad ſtatum vergentibus, ſi adſit convulſio, omnino exulare debet Opium. Imo licet affectus non adſit, tamen ob fluida hactenus orgaſmo febrili nimium expanſa, ab Opio exhibita ulterius expanduntur, & convulſionem inde poſſe fieri, patet. Verum, ſi fiat convulſio, ex nimia inanitione, quod ſæpius fit, quæcunque liquidorum molem augent, ſeu rarefaciendo expandunt, ita ut juſtâ ratione liquida per canales fluant, morbi cauſam & morbum tollunt. Hinc in convulſionibus mulierum hyſtericis, a pathemate quovis animi, ad mœrorem referendo, unde collabuntur liquida, atque in alia qualibet inanitionis ſpecie,

(h) Vide Havers *Oſteologiam.*

ſpecie, mira ſæpius præſtat Opium, eâdem omnino, ſed fortiori ratione, quemadmodum Caſtoreum, ſuccinum, aut alia quæpiam ſupellex hyſterica.

Quarto, In delirio a repletione, ſi Opium exhibeas, auctâ ſanguinis & liquidi nervei expanſione, augetur morbus, quare ratione ſuperius dicta, in orgaſmo febrili exulare debet Opium; quo in ſtatu, obſervavi aliquando, Ægros ab Opio vehementer deliraſſe. Verum ſi ab inanitione deliret Æger, expanſo ab Opio ſanguine, & nervorum liquido, cerebri compages, cui imprimuntur ſpecies, ad juſtum reſtituitur tonum, & fit delirii ſolutio. Unde, in febribus nullâ juſtâ naturæ criſi indicatis, & præ Ægri debilitate diutius protractis, cum præ nimiâ liquidi nervei inanitione, perpetuo deliraret Æger, Opio ſenſim (ob debiles vires, neque enim confertim ſuſtinent debiles, quemadmodum neque quidpiam generoſum) propinato, felix inſequuta eſt morbi ſolutio. Neque pejorem perſpexi ſucceſſum, in deliriis melancholicis, ſeu cogitationibus melancholicorum perplexis, & inſanis: Imo hujuſmodi, prorſum, Diuturno Opii uſu, curatos ex miſero rerum ſtatu obſervavi.

Neque alia ratione de vigiliis obſtinatis arguendum, vigiliæ enim delirium ſunt incipiens;

cipiens; Delirium vero vigiliæ conſummatæ; Quare a cauſa unde fiunt, de cura proſpiciendum, num Opio inſtitui debeat, nec ne.

Quinto, Ex dictis de Paralyſi patet, ex nimio Opii uſu, pronum fieri in paralyſin lapſum; quare & haud abſurdâ ratione, a ſudoriferis in hujuſmodi morbo ab Hipp: cautum, ex quibus utique, ſanguine expanſo, & fluidorum & canalium debilitatur tonus, haud ſecus, quam ab Opio. Atque hactenus obſervavi, paralyſin a ſudoriferis & calidis copioſius ingeſtis, ſive naturâ ſive Arte, deteriorem factam. Horum loco, Diuretica ſuppoſuit Hippoc: neque temere, modo mitiora ſint; hujuſmodi enim Medicamenta, nullo comitante orgaſmo, fluida comminuunt, & mobiliora reddunt, unde ſenſim ſibi viam per canales expediunt.

Propositio Sexta.

Ab Opio devorato, alvus & pectus, quælibet denique ſecretio ſeroſa extra vaſa ſiſtitur, ſudore excepto ſeu diaphoreſi.

ALvus eatenus laxa exiſtit, quod inteſtina, liquido per glandulas ſuas ſecreto lubricantur, tum & excernenda eodem liquido humidiora fiunt. Pectus

ctus etiam liberum exiſtit, liquidi Ope per glandulas tracheæ & bronchiorum ad partium humectationem ſecreti, unde nempe quæcunque in pulmonibus hærent, humido allabente madida, facilius loco moventur. Quæcunque igitur liquida ab alvo & pectore aliorſum derivant, & hoc & illam conſtringunt. Ex dictis autem innotuit, ſerum a fluidis rejectitium, ab Opio per ſudorem eliminari, aut diaphoreſin, quare & aliam quamlibet, ſiſtet ſeri profluvium.

Hinc patet, imo quò magis ab Opio ſudant Ægri, eò profundius dormiunt, quod aliquoties in praxi obſervavi: Quippe quo copioſior ſeri, ſeu lymphæ per habitum corporis evacuatio, eò minori copiâ, per glandulas cerebri, in nervos ſecernitur; unde nervorum liquidum, præ debilitate requietius, quare & facilior ab Arteriis incumbentibus compreſſio, & ex compreſſione proximiore, profundior ſomnus.

Secundo, Evacuationi cuivis, ſanguinis licet, ni adſit contra indicatio, ſubvenire Opium; quippe evacuatione largiore per ſudorem aut diaphoreſin conciliato, deplentur ſanguinis vaſa, unde quod reliquum eſt, quantitate diminutum, ex Arteriis expeditius tranſit in venas, & ſiſtit evacuatio.

Tertio, Ex dictis conſtat, quâ ration adſtringat Opium, non quidem operatione

im-

immediatâ, quemadmodum fit a Medicamentis propriâ ratione ſtipticis: Quin quidquid adſtringendo agit, eatenus agit, quod fluida corporis aliorſum derivat. Tantum vero abeſt, ut Opium revera adſtringat, quin omnino fluxus, qui a ſanguine fiunt expanſo, moveat. Hinc optimi exiſtit uſus in partu & puerperiis pellendis. (*b*) Neque id inter Medicos inexpertum. Egomet Opio puro, neque ullâ mixturâ peregrinâ adulterato, feliciter aliquoties rem expertus ſum. Neque dolor urgebat quiſpiam, ut eidem leniendo inſerviret, aut inde deſumeretur indicatio. Neque mirum, cum haud aliâ, verum fortiori operetur ratione, cum caſtoreo, borace, & hujuſmodi volatilibus aliis, quæ ſanguine expanſo puerperia movent.

(i) Antonii de Heyden *Obſerv: 38. & 39.*

Propositio Septima.

Quâratione, nimia Opii operatio, ſeu prava ab Opio ſymptomata præcaveantur.

EX præcedentibus conſtat, ſanguinem & deinceps liquidum nerveum ab Opio expandi, & ab expanſione canales ultra diametrum ſolitum dilatari, ſeu diſtendi,

ſi nimiâ pro naturæ viribus ingeratur quantitate. Quæcunque igitur canales deplere apta ſunt, ut priſtinam recuperent tenſionem, ea ſunt, quæ pravis ab Opio ſyptomatis obviam eunt.

Id autem imprimis præſtat venæſectio, unde ſanguinis vaſa confeſtim depleta, citatiori operâ & nervis opem ferunt. Nempe a preſſione arteriarum, nervi liberiores facti, priſtinum recuperant tonum, & liquidum contentum motu procedit libero. Pariter, ſi nervorum principia, ab expanſione liquidi diſtendantur, & fiant capitis affectus convulſivi, iidem, depletis ſanguinis vaſis, per conſequens etiam deplentur, & hoc etiam reſpectu priſtinam recuperant dimenſionem, & tollitur affectus,

Venæſectioni ſuccedunt purgantia, quibus etiam deplentur vaſa ſanguinea, & eadem licet non tam celeri operâ, quæ a venæſectione conſequuntur. De Alterutro, id imprimis cavendum, vires naturæ ſaltem conſtare, alias pejus forſan erit malo remedium.

Horum vice, Ego hactenus uſus ſum, primo, clyſteriis acrioribus, quæ non duntaxat alvum liberius ſolvunt, verum ſtimulo, univerſos ex continuo, corporis villos plus minus con cutiunt, unde fluida canalium renixu fortius preſſa, quâ

datâ

datâ portâ ruunt. Hinc a dolore quovis intenſiore, videre eſt, univerſum corpus ſudore perfundi, nempe, vi ſtimuli, vaſa motus oſcillatorios impetu reiterant fortiori, & liquida contenta proximius compreſſa, per vaſorum protrudunt emiſſaria.

Eadem ratione operantur ſalia volatilia; neque enim volatilitate, Medicamentum omnium maxime volatile corrigere poſſunt. Verum, ſalia hujuſmodi acredine inſigni prædita, compagem vellicant corporis nerveam, & ſtimulo concutiunt; unde liquida, canalium motu facilius ſubiguntur, atque, quod ſuperfluum eſt, per emiſſaria rejicitur.

Neque aliâ ratione operantur Epiſpaſtica, quorum vires in deliriis, ab Opio, abigendis aliquando miratus ſum; cum Æger prima Epiſpaſtici operatione, inter delirandum, conqueſtus, de frigido a ſincipite per cervicem delapſu, confeſtim a delirio ſanus eſt factus. Indicio conſpicuo, ſtimulum ab epiſaſtico, nerveæ cerebri compagi inditum, eandem a nimia liquidi copia depleviſſe, unde delirii ſolutio.

DISSERTATIO SEXTA.

De Morbis Animi.

NUlli ignotum, a corpore affecto animam pati, neque minus innotuit expertis, ab animo morbido corpus ſæpius peſſime mulctari. Is quippe inter utrumque nexus, ut mutuâ vice in ſeinvicem agant & patiantur. Nexus hujus ſolutio, univerſam Philoſophantium gregem, hactenus tranſverſum egit, & etiamnum credo, in ſœculum aget. Id verò parum Medicinæ intereſt, neque Medicum decet, inter ſpeculationes, ab Hominum ſanitate, & morbis averruncandis, prorſum abſtractas, tempus & otium terere. Sufficit, rem notam eſſe, parum licet animadverſam. Quotus enim quiſque Medicorum eſt, qui animi morbos vel per tranſennam aſpicit? Nullus plane, qui ex propoſito reſpexit. Egomet hactenus computo facto, expertus reperi, morborum muliebrium duas ad minimum tertias ſexus virilis, unam ſaltem, a mente primariò originem ducere Interim quid ad hæc Medicina? Nempe id volunt Medici, totidemque verbis, ut Æger ab animi pathema-

tis

tis caveat. Tanquam, ſi cuipiam, inter flammas & verbera cruciato conſilium darent, ne doleat. Remediis Pharmaceuticis obviam nituntur. Satius omnino cruciatus, à calculo & podagra, exquiſitisſimâ (a) Tullii dictione medicarent. An ſannos, & dicteria arbitraris? Minime: Rerum naturam narro. Quid enim ad animam ſeplaſium, ni ſaltem id velis, quidlibet ex quolibet fieri? Conſilii ratio ſpecioſior, quidem vix melior. Quemadmodum enim ſenſus læſi minus percipiunt, ita & animus Æger conſilii impos eſt. Verum de his plura.

Dicendorum ratio hæc erit. Primo, Quodnam ſit inter corpus & animam commercium. Secundo, a quibus animi affectibus fiant corporis morbi. Tertio, quid iis proderit pharmaceutice. Quarto, Quid, Muſica, tum ingenii & corporis luſus. Quinto, Quid conferat ratio ſeu ratiocinium. Sexto, Quid amplius Religio. Demum, Medici officium proponitur, in Morbis Animi, & quodnam ſit ex dictis Medicinæ commodum.

Quodnam ſit inter Corpus & Animam commercium?

Intimam Rerum naturam, ſeu quid ſunt res ipſæ, non novimus: Rerum vero proprietates, ex earundem adjunctis, ſeu attributis, norunt Homines: proprietates re-

(a) *Tuſcul. Quæſt.* undique.

rum unæ aliis, univerſæ primariæ cuipiam innituntur. Hinc patet, nullam rem proprietatibus gaudere ſibi mutuo contrariis; alias non una res eſſet, ſed plures. Pro dato igitur habeo, nullam rem unam ſibimet contrariari, idque non ex ratiocinio Philoſophico duntaxat, quin inter prima cognita æſtimo, quæ ſui intuitu, aſſenſum captant. At univerſum Hominum genus hactenus conſcium eſt, ſe motibus diſtrahi prorſum contrariis. Neque ab ævo extitit gens tam fera atque barbara, cui minima innotuere rationis indicia, belli hujus, præ omni alio inteſtini, neſcia. Hoc ſupponunt leges, & Philoſophia, univerſa denique ſocietas civilis; neque quidpiam inter Homines tam unanimi aſſenſu agnitum, quam quod cecinit Poëta,

— Video meliora proboque,
Deteriora ſequor —

Neque minus Religio, hominem undique ſibi diſſonum ſupponit, quin magis omnino, quam nuda Rationis dictamina. Eſt igitur in Homine, quidpiam ſentiens & percipiens, ab Anima rationali diverſum, quod nempe Hominem a ratione aliorſum trahit. Id autem Hominem cum Brutis commune habere, operoſius ut probem, ſupervacaneum eſſet; Analoga quippe utriuſque operatio, eandem

eandem utriuſque demonſtrat naturam. In ſanguinis igitur, & liquidi nervei motu, (rei modum non definio) idem reponendum concludo. Qui minutias deſiderat, (*b*) Williſium adeat. Ego harum incurius ſum. Sufficit, quod ex dictis pateat, dari in Homine ſenſum animalem. Eundem inter corporis membra & animam rationalem, intermedio fungi officio, omnino idoneum eſt. Verum, corpus exiſtit, utcunque ratione exquiſitâ elimatum. Sed quâ ratione, Anima prorſus incorporea, in ſubſtantiam ejuſmodi operetur, aut hæc ſenſus & perceptionis ſit capax, Ego prorſus non intelligo. In Rerum Conditoris beneplacitum, hæc in ſolidum repono, intelligentiam ſœculo futuro relinquo. Id ſaltem conſtat, corpus ab Animâ non affici, niſi mediante ſanguinis, & liquidi nervei motu, cui ineſt ſenſus Animalis. Liquet igitur, Animi morbos, quatenus corpus afficiunt, ſenſui Animali inhærere: Quare in Medicinâ mentis inſtituendâ, utriuſque ſimul ratio eſt habenda. Neque enim quemadmodum in corpore, cum ab affecto ventriculo tentatur caput, & remotâ causâ tollitur effectus, quin inter res omnino diſpares, mutua utrinque ſternitur labes.

(b) *De Anima Brutorum.*

A quibus Animi affectibus, fiant corporis morbi?

Nihil eſt, quod magis probat, res ſœculi nauci eſſe, & quod omnia ſunt vanitas, quam cum Hominum Animus a duobus præcipue agitetur affectibus, gaudio & mœrore, gaudium fluxile ſit & inconſtans, & vix natum, confeſtim intereat; quin quo intenſius Hominem afficit, eò minus durat, atque eundem magis effœtum relinquit. (c) Unde non in unius cujuſlibet objecti fruitione hæret, ſed vagabundus ab uno deſiderii objecto in aliud progreditur in infinitum. Mœror vero permanens eſt, altioreſque agens radices, ad vitæ terminos ſæpius durat. Quare neque ipſe obſervavi, neque hactenus credo, innotuit, vel mortem, vel affectum quemvis corporis morbi, dum a gaudio ortum fuiſſe, ni ſaltem intenſiori, circa idem objectum mœrori, ſubito ſucceſſerit, cum ſpiritus pathemate contrario profundius depreſſi, ſubitaneam ab objecto inopinato non ferunt expanſionem. Mœror vero, ut raro primo impetu jugulat, ſæpius tamen longiores vitæ ſtruit inſidias, atque eandem vel morte graviorem aliquamdiu protractam, tandem & morti tradit, mortalium miſertæ. Neque diſcriminis ratio prorſus ardua. Quippe liquida corporis, a gaudio nimium expanſa, renitentiâ canalium elaſticâ, brevi reprimuntur,

quin

(c) Vide Hobbeſii Leviathan.

quin quo major ex fluidorum expanſione, canalium diſtenſio, iidem fortiori niſu retro collabentes, quicquid fluidius, i. e. magis ſpirituoſum, inibi exiſtit, celeriori impetu extrorſum trudunt, unde mœror a gaudio effuſo ſæpius profundior; qui tamen non longius durat, quod canales ultra priſtinam dimenſionem, non collabantur, & liquidorum penus novo fomite, facilius reſtauratur. A mœrore vero altiùs depreſſa liquida, nullo intrinſecus elatere denuo expanduntur, unde priſtinas vires recuperare poſſint, & quæ extus in auxilium uſurpantur, non niſi ſuperficie tenùs malum lambunt, unde extimam duntaxat ſuſcipit curam, brevi denuo evanidam, cum hæreat lateri lethalis arundo. Ex dictis igitur pateat, quoſvis Animi morbos, quatenus & corpus morbo afficiunt, ex mœrore oriri, ſeu quod idem eſt, ex quopiam Animi pathemate ad mœrorem referendo.

Quid iis proderit Pharmaceutice?

In limine curæ ſe offert Pharmaceutice: Nempe ita inter Homines agitur, ut nihil prorſum ſit Medicus, ni rem ſuam univerſam pharmacis agat. Quin & ipſe Medicus, ſcientificè ſibi agere videtur, ſi rem ad materiam & motum perduxerit: Interim de mali origine parum ſolicitus, minime quærit. Suppono, Hominem ex graviore Animi mœrore, delirio aut

convulſionibus obnoxium, anxietate præcordiorum, atque aliis ejuſmodi nervorum affectibus, continuò oppreſſum. An lætificans Galeni præſcribis? ſane verborum ſonus, plus quam Medicina præſtabit, & tu præſtigiatorem, non Medicum ages. Specificis rem aggredere. Experto crede: cephalica quælibet, ſtomachica, pectoralia, in ejuſmodi rei ſtatu, nauci aliquoties prædixi, & expertus ſum. Rei naturam intuere, & tecum imaginare, quid ſit in ſeplaſiis, & quo nomine gaudeat, quod ſpeciem mœroris deleat, altius Animo impreſſàm, & ni deleatur, non tollitur morbus. Nolim equidem Medicamina volatilia nervina, prorſus abnuere in affectibus mali præſentaneis gravioribus tollendis. Inter quæ, præ omnibus infinitis modis, Opii virtutes præcellere vidi. Verum vini generoſioris cyathum, Amici blandioris confabulatione conditum, primarium æſtimo animo mœſto pharmacum. Nempe & uvæ ſuccus, fermentatione dèpuratus, præ alio quovis idoneam ſanguini & penus nerveo labanti, conciliat refectionem.

Quid Muſica?

Conceptù, quàm explicatu magis obvii ſunt, Muſices effectus mirandi, & quos nulli ignorant, niſi quibus cerebrum eſt perversò diſpoſitum, aut aures obtinent ab Arcadiæ pecuario mutuatas.

tuatas. Quæ minus dubia, & magis rei interſunt, ſequentibus comprehendam. Primo, Aërem pulſatis inſtrumentis Muſicis, diverſimode vibratum, varias inire undulationis ſpecies, quæ auditus organo impreſſæ, eandem motus ſpeciem liquido nerveo conciliant, unde Animus pro vario motus genere varie agitatur. Secundo, Immediatum Muſices effectum, eſſe ſpirituum erectionem, ſeu expanſionem liquidi nervei; nempe undulationis impetu dimoventur liquidorum moleculæ, & mutuos ſæpius mutant contactus: Unde quidquid fluidius eſt, liberiori & celeriori impetu, reliquam pervadit liquidi compagem. His congruit Baglivii Obſervatio, de Animalibus a Tarantula demorſis, quorum nempe ſanguis confeſtim grumeſcit, unde ratio petenda curæ a Choreis Muſicis præſtitæ. Quippe quod liquidum nerveum, undulatione Muſica, imprimis expanſum, una & ſanguinis compagem expandendo, a concretione liberat, quare & ſudore oborto & morbi & remedii paroxyſmus terminatur. Tertio, Pro variâ liquidi nervei diatheſi, variam placere aut diſplicere Muſicam; Nempe quo facilius aut difficilius, liquida ſuſcipiunt. Atque ineunt motus Muſices undulatorios, eò aptiora exiſtunt aut ineptiora, ad concentus gradus celeri aut tardo modo progredientes: Unde & Tarantulâ icti, ſæpius

ad unam, alteram, & tertiam modulaminis ſpeciem minime moventur, quartâ vero Ægri & morbi genio congruâ, confeſtim ad tripudias ineundas eriguntur. Quarto, Primos modulaminis Muſicæ appulſus, graviores eſſe, & moleſtias creare, iis præcipue, quibus torpet nervorum liquidum, & deprimuntur ſpiritus, idque præſertim, cum ea ſit Muſices ſpecies, quæ celeriori ruit concentus impetu; nempe quod ſpiritus oppreſſi, ab undulationis impetu fortiori, inſolitos ſubeant motus, unde nervorum villis, a ſitu diſtortis, fit dolor ſeu Animi gravamen: Quare & univerſi fere Tarantati a ſuſpiriis, & id genus Animi gravati indiciis, tripudias adornant. Hinc patet Quinto, Muſicam magis delectare, cæteris paribus, quæ tardiore incedit concentus gradu; ſaltem quæ a ſubmiſſioribus initiis, ſenſim elevatur & ſublimior fit, quippe qui magis Muſicâ delectantur, Animo & ſpiritibus feſſi ſunt. Tales vero uno impetu citra dolorem ſe non patiuntur erigi. Hinc Muſica tragædiis imprimis gaudet, & Artis culmen, quod (Opera) dicunt, non niſi tragico peragitur apparatu. Eâdem delectantur res ſacræ: Quin ad armorum ſtrepitum, elatis ſupra formidinem Animis, ſymphoniâ tragicâ Homines accenduntur. Ex dictis ſuapte eluceſcit, Ratio operationis Muſicæ, in pathematis Animi

mœſtis ſublevandis; ea quidem non indiſcriminatim quævis, ſed quæ magis idoneo modo ſpiritus ferit. Neque ſi inter prima Muſices exordia Animus fiat irrequietior, ideo minus convenire concludendum; cum & Tarantati, qui Muſicâ curantur, ſuſpiriis & gemitu tripudias adornent. Eâdem ratione melancholicos, inter prima Muſices initia, aliquoties mœſtiores vidi, protracto tamen aliquamdiu concentu, hilares, & mali ſui oblitos factos. Neque dubium habeo, plures corporis morbos, cum ſpirituum ſeu ſenſus animalis ataxiâ complicatos, Muſicâ præ quavis aliâ Medicinâ curabiles eſſe; modo in id ſedulò incumberent Medici, atque occaſio ſuppeteret, ut modulamine congruo morbos adorirentur.

Muſicæ ſuccedunt Ingenii, & Corporis luſus. Hic triplici, alter duplici modo, affectibus Animi mœſtis ſubvenit. Nempe ludicro quolibet, ingenio, oblato, Primo, vegetius undulatur liquidum nerveum, & eriguntur ſpiritus. Secundo, ſpecies mœrori contrariæ cerebro imprimuntur, non quidem ſpirituum aliorſum derivatione, ſed quod ab expanſo nervorum liquido, principia nervorum ſenſui Animali deſtinata, ſpecies rerum ſuſcipiant vividas & blandas, unde datis naturæ induciis, contra inſequentes mœroris impulſus,

Tum Ingenii & Corporis luſus.

ſus, vires ſenſim acquirit majores. Idem præſtant Corporis luſus, præterea & exercitio universi Corporis canales, validius conquaſſati, celeriori impetu, fluida antrorſum propellunt. Nervorum liquidum torpeſcentem erigunt; quidquid tandem minus congruum, vel in ſolidis hæret, vel inter fluida natat; e corpore rejiciunt, unde quorum Corpora, crudis magis ſcatent & indigeſtis, iis magis cæteris paribus convenit exercitium, & e contra.

De Remediis hactenus dictis, duo reſtant indicanda. Primo, Parum aut nihil affici animum, a motibus corpori impreſſis, ni adjuncta ſit voluptatis ſeu lætitiæ ſpecies, quemadmodum in ſympoſiis Muſico concentu, ingenii demum & corporis luſibus. Secundo, Illud imprimis cavendum, ne nimia ſint: quemadmodum enim alvus pigrior Medicamento fortius purgante, peſſime curatur; quippe quod inteſtinorum villi ſuapte debiles, a pharmaco ulterius pluſquam nimis debilitantur, & pejus fit ex remedio malum: Ita & quæcunque Animos erigunt, ſi nimia ſint, vel ultra modum protrahantur, liquida, præ debilitate ulteriorem expanſionem, minus ſuſtinentia, debiliora relinquunt. Uude videre eſt, mœſtos a nimio Baccho, aut convictu quopiam lauto diutius protracto, deteriori

teriori

teriori inſequuturo ex poſtliminio, paroxyſmo, viam ſternere.

Quid conferat ratio ſeu ratiocinium?

Ut innoteſcat clarius, quid poſſint ratiocinia in animo medendo, quædam de rationis viribus præmittenda. Primo, Hominem ita conformatum, ut ſpecies rerum, quas ab origine ſuſcipit Animus, altius imprimantur & diutius perſiſtant. Hinc pueritiæ conſuetudines rarius deſerunt Homines: Hinc etiam a lemurum phantaſia, nolente quantumvis ratione, immenſum paveſcit maxima pars Hominum. Phantaſmata hæc & prorſum figmenta, faciles quidem agnoſcunt, quas utique pravæ inter nutrices & mulierculas educationi debent; dum Infantes morioſiores & irrequietos, terriculamentis ejuſmodi placidiores reddere conantur: Præjudicio, tamen nolint velint, aguntur. Et ſi vera aliquoties ſint, nullo tamen rationis innotuit indicio, Homines a ſpiritibus ita debere paveſcere, cum & ſpiritus ipſi ſimus, & inter ſpiritus in æternum degere, Hominibus paratum ſit. Quin, & qui doctrinâ Chriſtianâ imbuuntur, pro conceſſo fere habent, non niſi a Cacodæmone, Hominem ad pravas concitari cupidines. Tamen dum inter ejuſmodi pathemata verſantur, a Dæmone nulli verentur; quippe neque ulla conſue-

tudine, terroris ſpecies cum ejuſmodi affectibus conjungitur, & quam utrinque naturam dicunt, mera exiſtit conſuetudo. Secundo, Hinc patet, quæ virtutes & vitia vulgò dicuntur, ſæpius rationi minus, quàm corporis & phantaſiæ diatheſi deberi; imo tam debilis ſæpius exiſtit ratio, ut ad varia objecta contrario prorſus modo ruat Animus. Hujus exemplum proſtat in (*d*) Birone, clariſſimo ſub Henrico quarto Rege, Franciæ Mareſcallo, quo non alius extitit magis ſtrenuus, audax & intrepidus Belli dux, dum gloriæ cupidine cœcutiens mortem minus proſpiciebat. Aſt quam primum pallida mors, moram renuens ad januam pulſabat, præ pavore prorſus fere demens occubuit. Tertio, Artem dicendi ſeu oratoriam, bellas quidem offerre animo ideas, ſpecies verò rerum naturæ ſeu ſenſui animali inſitas, minus afficere. Nihil hactenus inter Homines excogitatum, Tullii de virtutibus & vitiis eloquentiæ æquiparabile: Neque magis doctus habetur, ex Academicis, de natura Deorum, & de divinatione operibus, quam quidem probus, ex diſcurſibus de Finibus, de Officiis, & præſertim in Tuſculanis, quæ elaboravit, quæſtionibus. Verum ut ta-

(d) Mezerie, vie de Henrie quatrieme.

taceam, quæ Ciceroni ſive vera ſive falſa objecit (*e*) Saluſtius; conſtat ſaltem, (*f*) Hominem & vanum fuiſſe & venalem, & quidquid tandem de fortitudine Animi prædicat, omnium mortalium & in vita, & in morte pavidiſſimum: Nempe, Eloquentiam Arti, vitæ modum naturæ debuit. Quare Quarto, qui magis in virtutis exercitio excellebant, ad dicendum minus proni extitere, & quæ de iis proſtant, naturam magis quam artem ſapiunt: quò referenda ſunt, quæ de Socratis inſtituto retulit (*g*) Xenophon. Quin & ante Artem oratoriam vel Romæ, vel Athenis inventam, fortiſſimi utriuſque extitere Heroës. Themiſtocli ſatius viſum eſt veneno occumbere, quam vel Patriæ ingratæ Arma inferre, vel fidem frangere Patriæ Hoſti datam. (*h*) Decii pro legionibus ſe devovebant, & Diis, ſeu ſuis ſeu alienis ſe Hoſtiam immolabant, ut Patriis Armis minus infenſi ſu rum annuerent victoriæ. (*i*) Attilius Regulus a Pœnis in Patriam remiſſus, ut de pacis conditionibus ineundis concilium daret, du-

(e) Oratione in Ciceronem.
(f) Plutarchus in vita Ciceronis.
(g) Ἀπομνημόνευματα.
(h) Plutarh. in vita Themiſtoclis.
(i) Livius decade primo.
(k) Idem in *Primo Bello punico*.

duriori denuo captivitati, & morti ſæviſſimæ ſe ſubjicere maluit, quam ut de pace ingloriâ, Romani cum hoſtibus concilium inirent. Quorſum hæc omnia dicis? nempe ut innoteſcat, non bellas rationis ideas, neque feracem dicendi genium, illud eſſe, unde in vitæ affectibus ducitur genus humanum. Quare, & cuivis in Hominum inſtitutis verſato, indies obſervare licet, quo magis dicaces exiſtunt Homines, eo minus res funditus percipere, & taciturnos in Religione, in Artibus etiam, & rebus civilibus, verius eruditos.

Ex dictis facili operâ patebit, quid poſſit Ratio in Animi morbis. Ejus nempe dictamina, maturius naturæ impreſſa, morbos Animi præcavere quidem; aſt jam conſtitutos, minus afficere ratiocinia Arte tradita. Suppono Hominem, a primis educationis exordiis, & dum ſenſus Animalis, Tabula raſa, ad quaſvis rerum imagines recipiendas omnino indifferens eſt, ratione imbui; ejuſque præcepta, in ſuccum & ſanguinem recepta, ad provectiorem ætatem, nutriri & augeſcere. Dico Talem, morbis Animi minus obnoxium, & ſi impetu fortuito ingruant, facilius curari. Nempe, morbi Animi non fiunt niſi a perverſo rerum conceptu: natura vero conceptu contrario munita, de ſtatu

haud

haud facile deturbatur; & ſi concutitur, facilius reſtituitur, & ſtatum recuperat priſtinum. Hujuſmodi fuere Heroës priſci, quibus inter primos Rerum conceptus, illud imprimis fuit familiare. *Dulce & decorum eſſe, pro Patria mori.* Verùm, ſuppono Hominem (quæ & maxima pars Hominum eſt) inter cupidines pravas, a ratione alienas, nutritum & educatum, quibus prorſum imbutus, iiſdem omnino gaudeat & feratur: Huic gravamine Animi oppreſſo, Ratio minus opitulabitur, cujus utique ſuppetias nimis è longinquo petit. Unde Tullio, naturâ, ſeu a perverſo rerum conceptu formiduloſo, nihili fuere propria de Animi fortitudine ratiocinia. In hujuſmodi rerum ſtatu, ſatius arbitror, ut ratio quieſcat, atque id unum ſecum ratiocinetur Miſer, ut de Miſeriis ſuis neutiquam cogitet. Quemadmodum enim Avis inter aucupis inſidias correpta, quo ſedulius volitat fugam meditans, eò magis irretitur; ſive quivis plaga afflictus, ſeduliore vulneris contrectatione, idem pejus irritat, & ad putredinem proximius diſponit: Ita & animus Æger anxia ſolicitudine, de malo ſuo meditabundus, neutiquam ſibi opitulatur, quin ſæpius, ut altiores agat morbus radices, præpoſterâ ſui curâ, ipſe ſibi cauſa exiſtit. Att abſtra-

ctâ a malis Animi cogitatione, induciæ naturæ conceduntur, unde ſe ſenſim recuperet. Id tamen ſæpius minùs potis eſt ratio, quæ vix minùs de Animi malis cogitat, quam corporis affectus percipiunt ſenſus. Quare quid ſupremo loco conferat Religio, ſupremo loco proſpiciendum.

Quidam-piſus Religio?

Tam pravum hodie de Religione extat Hominum Judicium, nempe & tam perverſo modo ab interpretibus, ſæpius inſtituitur, ut nihil magis vereatur maxima pars Hominum; tanquam ſi Religio abjectos inderet animos a gaudio & nobilioribus affectibus alienos. Verum hi, quid ſit Religio, minus callent, quæ non in rixis, neque ſuperſtitione credulâ, quemadmodum inter Homines fit; ſed in animo conſiſtit rite ad naturam diſpoſito. Hujus qui perſuaſus eſt, is facilis ſecum reputabit, veram Religionem, ſeu animam Deo devotam ſupremam & ſummam, omnium malorum exiſtere medelam. Homo, gravius quodvis malum perpeſſus, animo mœſtus eſt, & corpore morbidus, neque Medicinam ſuppeditat natura. Quid facies Miſer? Infortunium exiſtimas, & caſu omnia mortalibus accidere? An requietior inde fiet animus, aut corpus mage ſanum? Quin potius, gravius inde

ma

malum, quod Caſus iniquior Tibi præ reliquis fiat, & Fortuna cœcutiens, in te unum forte, inter alios millenos inciderit, ut damno tuo ludat. Fatum arbitraris? Senecam adeas, Stoicorum te imbuas doctrinâ, ſapientis ideam experire. Aſt mendax hæc plane eſt; Zenonis figmentis inſititia, neque naturæ cognita, neque inter Homines comperta. Ecqua enim conſolatio, durius fatum miſerecordiæ expers, in miſellam Hominis vitam, nullo boni aut mali diſcrimie ſævire? Amicos adeas, ut de malis tuis lugeant, & ex Familiarium commiſeratione, de miſeriis tuis te conſoleris. Verum ejuſmodi ſolatium, minus naturæ congruum, evanidum etiam & fluxile eſt. Neque Amici de dolore tuo revera participant: Et paucum omnino eſt, & pondere & duratione, quod inde levaminis percipis. Aſt cedo, Hominem, intimè perſuaſum, univerſi opificem mundum ſapienter gubernare; Rerum eventus proſperos aut ſecus non ad Hominis arbitrium, ſed pro divino conſequi beneplacito; Quidquid Boni aut mali Hominibus contingit, ſummo Hominum bono ex Dei propoſito deſtinari; plagam quam patitur omnem, ſive intus ſive extra, ob delicta fieri, ſeu ut intimius tenuitatis ſuæ conſcius, intimius etiam ſe Deo voveat & ſubjiciat. Is ſerio ſe-

cum reputabit, quidquid patitur, Cœlitu oriundum, cujus commodum licet confeſtim non percipiat cœcutiens, idem tamen a numine, conſilio non fortuitò agente perſpici: Quare & res ſuas ſibi optimas, a ſapientiæ utique, & bonitatis fonte oriundas. Hinc abjectâ ſolicitudine anxiâ & perplexâ, ſe quietum tenebit, & Numinis ordini animitùs ſùbjectum: Quin & gaudio dilatabitur Animus, ſpe plagæ amovendæ, ſin minus certioris ſaltem, poſtliminii jure, patientiæ præmii. Ab hujuſmodi Rerum conceptu fulcitur Hominis animus, & meliorum ſpe ſe erigit; unde liquida Corporis depreſſa dudum, & moribunda, novâ inſtaurantur vitâ.

Vir ingenuus, & eruditus, ex improſpero rei ſucceſſu ſolicitus, brevi de Anima fere deſperabundus evaſit; appetitus proſtratus, corpus languidius, nox irrequies. Satanæ tentationem, aut genium ſuum ſcrupulis obnoxium ſuſpicatus, diverticulis animum a mœrore avocare fruſtra conatus eſt. Tandem, Rem mihi faſſus, ut Religionem adiret ſuppetias ratione expoſitâ quæſitum, conſilium dedi. Confeſtim renaſcebatur mens ſana in Corpore ſano, & cum aliquoties leviores mali recidivas paſſus eſſet; eodem denuo inſtituto prorſum convaluit.

Ex

Ex dictis patet, id imprimis officii Medici eſſe, ut omni operâ, ægrorum affectibus, animi mœſtis, obviam eat. Feliciſſimus ſæpe eſt Medicus, non qui Medicinam pharmaceutiam aut corporis mechaniſmum, melius callet, ſed qui Ægrorum animos optime diſponit, & parum deeſt Medico cum ſui opinionem, & morbi contemptum Ægro conciliare habilis eſt: Unde Medico faceto, & hilari, delectantur Homines; minime quod ex dicteriis levamen ſentiant corporis aut animi malorum: Verum id ſecum reputat Æger, hilarem Medicum, de morbi eventu minus vereri, unde & ipſe parum veritus, & animo erectior, optimus ſibi providet Medicus: cum qui animo mœſtus, & ſolicite cogitabundus, præ Ægro ſe gerit, Miſelli animum ſuſpicione ſui perfundit; unde Ipſi accidit idem, quod ex loco præcipiti deſpicienti, dum caſum veretur, præ timore procidit.

Juvenis, a caſu in amne, propemodum ſubmerſus, in febrem incidit pleuritici genii, animus etiam præ pavoris ſpecie, ſubinde delirio ferebatur. Poſt aliquot dies convaleſcenti, ut Hominem domi detineret, Pharmacopœus manu carpo admotâ, incautius protulit, ipſum intenſius abhuc febricitare.

Confeſtim Homo, & ſui neſcius, & Medicinam nunquam ante expertus, lectum repetebat, febre intenſiore, dolore lateris, & mœſtitiâ Animi profundâ delirium minante correptus eſt. Re auditâ ad Ægrum accedo. Rem geſtam mihi retulit, ſe demum blanditiis meis deceptum, de morte & animæ ſalute parum proſpexiſſe, ut Deo & Euangelii miniſtro ſe traderem ſuadebat. Ad hæc ego: Pharmacopæi Judicium, acerrimis verbis, conſultò perſtringo. Neque Homini neque Arti datum, ut de morbis judicium ferat; Nempe ut Ægrum in morbi contemptum, & mei opinionem ſuadendo, eidem denuo animos inderem; & ut fidem facerem certiorem inſtanter curandum, audacter promiſi, neque fefellit eventus, quippe Opii grano circiter, exhibito, a placidiore ſomno, prorſum convaluit, de ſalute omnino attonitus.

Verum hujuſmodi rei gerendæ methodus prudenter eſt inſtituenda, ut & verum Medicum, & virum probum ſe gerat Medicus. Agyrtis quippe, & Artis nebulonibus pronum eſt, facetiis & volupe vultu ludere, dum Ægris quibuſlibet, vitæ aut necis pariter neſcii, indiſcriminatim, aut vultu aut verbis vitam promittunt. Aſt hujuſmodi Homines, piaculum

culum & nefas, coram Deo & Hominibus ſæpius exercent. Quidquid ſit de ſerotinâ pœnitentiâ, id norit numen: Homini ſaltem nefas eſt præpoſterâ vitæ ſponſione, atque ultra, quam res fert, ægrum a rebus, aut ſacris aut domeſticis collocandis detinere.

Viro Quadragenario, jocis deditiſſimo, ut cogitationis mœſtæ omnino incapax videretur, poſtquam diem unum aut alterum, præcordiorum anxietate, & pectoris anguſtiâ anhelosâ laboraverat, accedens & aliquamdiu intuitus, ex oculorum vultu lurido & collapſo, ſpaſmodicam affectionem ratus, Ægro reſpondebam. Tu quidem, in facetiis totus es: Verum animi mœrore graviſſimo laboras, & ob animo duntaxat laborat corpus. Quibus ille: Unde hæc noſti? Ex temetipſo, & morbi indole regerebam. Confeſtim, de re improvisâ, & quam nemini indicarat attonitus, altiore ducto ſuſpirio rem faſſus eſt, & medelæ rationem quærebat. Ut a mœroris causâ mentem omnino abſtraheret, ſuadebam, & ſi minus ſuccurreret ratio, amicorum conſuetudine, pro diverticulo uteretur: Ni ſibi quam primum, ratione dictâ, aut ex Religionis dictamine caveat, brevi de vitâ periclitatu-

 rum,

rum; neque hili fore remedia pharmaceutica, quamdiu mali fomes in præcordiis hæreret. Juſtis annuenti, remedia quædam nervina volatilia, præſcripſi, & ut morem ſuæ, & amicorum indoli gererem, pectoralia etiam, quæ licet nullius uſus, tamen innocua ſciebam. Verum, Homo vindictæ deditus, injuriis, quas ſe paſſum eſſe prædicabat, continuò & indeſinenter memoriam refricabat, ut labes indies magis ſerperet; neque officiis neque ratione obviam ire potis fui: unde ex vultu ſaltem pejorum ſuſpicionem innuebam, & amicis de re licet parum cogitantibus, (ut Ægrum, quâ par eſſet ratione, de rebus ſuis monerent) mortem brevi inſequuturam prædicebam. Poſt dierum unam & alteram circiter hebdomadam fatis ceſſit.

Quare dum inter Ægros verſatur Medicus, de animi ſtatu caveat; labes quippe ſæpius hæret, ubi minus ſuſpicatur inexpertus. Egomet, vix morbi curam ſuſcipio, ni pateat cauſa, in ſexu præcipue ſequiori, priusquam de animi affectibus, certior fiam, unde de morbi cura & eventu proximius innoteſcant indicia.

Commoda præcipua, quæ deinceps morborum animi conſiderationem conſequun-

quuntur, ut fert tentaminis indoles, paucis proponam.

Primo, Corporis ab animo affecti, ſigna diagnoſtica in nervis exiſtunt & nervorum affectibus, unde a morbis animi intimius notis haud exiguum nanciſcitur Medicina emolumentum: Quippe cum plurimi corporis iique graviores morbi, nervos imprimis afficiunt, ex ſimili utrorum phaſi, de nervorum in genere affectibus pronunciabit Medicus: Neque mihi criterion ſuppetebat, unde Judicium ferrem de morbi genio, & eventu quoad ſedulior morborum animi conſideratio, nervorum affectus, cogitationi magis reddiderat familiares.

Secundo, Medela mentis, a Medicis omnino fere neglecta, unam ex primariis arbitror cauſam, infidæ Medicinæ. Præterquam enim, quod morbi corporis ab animo oriundi plures exiſtunt, quàm quod ſæpius arbitrantur, quibus curam minime ſuppeditat hodierna medendi ratio, quare & alia ejus loco eſſet indaganda. Præcipuum tamen eſt, quod peritia Medica, minus fere verſatur in morborum cura; Quippe plures morbi naturâ incurabiles ſunt, cæterorum

rum aliquoties, ut ait Celſus, quos ratio non curat, hos temeritas curat. Verum in eo potius, peritum ſe perhibet Medicus, quod ſibi & aliis, de morbis rite Indicium ferat, unde innoteſcat, quæ conveniunt, quæ minus, quæ vero nocua ſunt, & quid demum de morbo futurum ſit, alias ignoto morbi genio, & ſi ſemel fallet, labore importuno Ægrum decipiet. Huc accedit, non ex gravioribus ſæpius fieri, corporis ab animo affecto ſymptomata, quin præcordiorum gravamine, appetitu proſtrato, & cæteris hujuſmodi, læviuſculis ventriculi affectibus comprehendi; & in ſexu ſequiori, vomitu, menſibus perperam ordinatis, & ſubinde ſiſtentibus, quibus nullus eſt Medicaſter, qui ſe imparem imaginatur. Verum, res perperam ſuccedit, uterque fallitur, in Ægri perniciem, Medici infamiam, & Artis ſcandalum, eò gravius, quod ſæpius inter divites & honeſtiore loco natos, hujuſmodi ſuccedant improſpera. Plures enim divites, quam Egeni, ſapientes, quam ſtulti, animo laborant: Hebionibus enim & fatuis, præ vitæ neceſſariis, & mente ærumnarum neſciâ, rarius incidunt in animi ægritudines. Quare ſi morbus ab animo oriatur, ni caveat Medicus, ex ignoto

morbi

morbi genio, in generis humani damnum, & fallunt remedia & fallit eventus.

FINIS.

cost me

0 – 0 – 5